



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

**Fleury, Claude**


**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118022**

Liber LXXV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)



# HISTORIA ECCLESIASTICA.

## LIBER LXXV.

INNOCENTIUS III. PAPA.  
PHILIPPUS & OTTO IV. IMP. OCC. ALEXIUS  
ANGELUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

*Cælestini Papæ obitus. Innocen-  
tius III.*

Cælestinus III. Papa annis & corpo- Sæcul. XII.  
ris infirmitatibus gravis, cum pau- A. C. 1198.  
lo ante Natalem Domini, anno  
millesimo centesimo nonagesimo septi-  
mo, in morbum incidisset, Cardinales  
omnes

*Roger. de  
Hoved. p. 774*

H h 4

omnes



Sæcul. XII.  
A.C. 1198.

omnes ad se convocatos de successore eligendo deliberare iussit. Ipse vero omnibus viribus nitebatur, ut Joannes de S. Paulo Presbyter Cardinalis, Tituli S. Priscæ, Papa eligeretur, in cuius sapientia, sanctitate & iustitia plurimum fiducia posuerat; adeo enim ipsum præ ceteris diligebat, ut eum Vicarium suum Generalem constituerit, excepta Episcoporum ordinatione, quæ ad officium Episcopi Ostiensis pertinebat. Quin etiam Cœlestinus Papatu se abdicaturum promisit, si Cardinales Joannem de S. Paulo vellent in S. Petri Cathedram sua electione evehere.

Verum omnes una voce responderunt, se Joannem addita quacunque conditione non esse electuros; rem autem esse inauditam, quod Papa vivus suam Dignitatem dimisisset. Prætextus hæc dicentium Cardinalium erat, Electionem Romani Pontificis oportere esse liberam & ab omni pacto absolutam; revera autem eorum plerique Pontificatum ambiebant, & Episcopus Ostiensis, Episcopus Portuensis, Jordanus de Fossa nova, & Gratianus nulli labori aut industriæ parcebant, qua summum fastigium consequerentur. Inter hæc Cœlestinus III. Papa Feria quinta, octava Januarii, anno millesimo centesimo nonagesimo octavo, vita functus, pro more in Basilica La-  
tera-



teranensi sepultus est. (\*) Hic clau- Sæcul. XII.  
duntur Annales Cardinalis Baronii, quem A.C. 1198.  
Hh 5 præ-

(\*) In Palatio pag. 701. de Cœlestino Pa-  
pa hæc legimus: *Romæ propensiori studio,*  
*quo tenebatur Cœlestinus erga cultum Ve-*  
*nerandæ Imaginis Dei Genitricis Mariæ, quæ*  
*fuerat Gallæ Placidia, collocatæ in antiquo*  
*foro Romano, juxta Ecclesiam dictam S. Ma-*  
*riæ in Porticu, ædificavit hospitem domum*  
*Infirmorum, quam redditibus locupletavit. De*  
*hac veneranda Imagine adhuc vetus perseve-*  
*rat Inscriptio:*

Hæc est illa piæ Genitricis imago Mariæ,  
Quæ discumbenti Gallæ patuit me-  
tuenti.

In Alexandro Natali sub finem Sæculi XII.  
hæc leguntur, pag. 134. *In eodem Articulo,*  
*pag. 256. Edit. primæ Religiosi Censores hanc*  
*Propositionem notant: Papa erravit circa dis-*  
*solutionem Matrimonii, ejusque Decretum non*  
*fuit approbatum ab Ecclesia. Hinc inferre*  
*intendit Alexander, inquiunt, quod Decreta*  
*Pontificum sine consensu Ecclesiæ sunt opinio-*  
*nes, & non Decreta infallibilia.*

Respondet Natalis Alexander: *Christianam*  
*uxorem, cujus odio vir Christum negavit,*  
*sibi que copulavit paganam, ipso superstite alteri*  
*nubere posse Catholico, atque hujusmodi & si-*  
*mili apostasica Matrimonium dirimi, sensit Cœ-*  
*lestinus III. Decretum istud habetur Cap. Lau-*  
*dist-*



Sæcul. XII. præcipue in hac Historia ducem secu-  
 A.C. 1198. tus sum.

Sacra

dabilem. Tit. de Conversione Infidelium. Lib. III. Secundæ Collectionis antiquæ Decretalium ab Antonio Augustino editæ. Illam Cœlestini III. opinionem Ecclesiæ consensu non esse approbatam observavi, ab Innocentio III. emendatam, Cap. quanto Ext. de Divortis; Partem illam capituli Laudabilem, insertam non fuisse Collectioni novæ Decretalium jussu Gregorii IX. editæ: Concilium denique Tridentinum Sessione XXV. Can. V. Anathemate feriisse eos, qui dixerint, propter Hæresim dissolvi posse Matrimonii vinculum. Hæc verba: Papa erravit asfingunt mihi RR. Censores, mea non sunt. Quamvis Cœlestinum III. in ea Decretali errasse verum sit. Ejus opinionem Ecclesiæ consensu non fuisse approbatam dixi, quod certissimum. De infallibilitate Summi Pontificis ne verbum quidem ullum habeo eo loci, nec id infero, quod me inferre voluisse Religiosi Censores in omnem eventum divinant; tametsi ea sit Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ sententia. Sane aut Cœlestinus III. erravit, aut Innocentius III. qui Decretalem ejus correxit, cum eorum opiniones contrariæ sint, ut ipse Innocentius in Decretali sua notat: Nos igitur consultationi tuæ respondentes distinguimus, licet quidam Prædecessor noster sensisse aliter videatur &c.

Hic Notam subjecit Constantinus Roncaglia: Erravit Cœlestinus sentiendo Matrimonii  
 vincu-



Sacra Sedes haud plus aliquot horis Sæcul. XII.  
vacavit, nam cum Cœlestinus noctu e A.C. 1198.

vita Gest Innoc.  
n. 5. Lib. I.

*vinculum inter Fideles solvi, si alter conjugum <sup>ep. I.</sup>  
Hæresim amplectatur, sed non definivit, ac suam  
opinionem dumtaxat exposuisse, illa Innocentii  
verba manifestant; licet quidam Prædecessor  
noster aliter sensisse videatur, porro sentire non  
est definire. Et post pauca: Jam ergo adno-  
tavi tunc Pontificem solemniter definire, seu ex  
Cathedra loqui, quando aliqua veritate mature  
examinata, ac specialibus orationibus Spiritus  
Sanc̃i adfidentia invocata, aliquid tanquam  
Magister Universalis, ac ad fidem pertinere u-  
niversæ proponit Ecclesiæ, adeoque ostendat, ut  
Hæreticos habendos, qui aliter ac ipse definie-  
rit, sentiant; unde in eos solet Anathema pro-  
nunciare.*

Huc usque Notæ hujus Auctor. Cui se-  
quentia argumenta opponi possunt: Quis Chri-  
stianorum sciat, aut inquirere teneatur, vel e-  
tiam Judex sit, an Summus Pontifex, antequam  
Epistolam Decretalem vel Bullam ediderit,  
rem satis mature examinaverit, an specialibus  
orationibus S. Spiritus adfidentiam satis invo-  
caverit? Imo præsumendum, id semper factum,  
adeoque Papa semper definire voluisse creden-  
dus erit. Nec illa Quæstio, an Papa, sine con-  
sensu Ecclesiæ, id est Episcoporum, aliquid  
proponens, tanquam Magister Universalis lo-  
quatur, decisa est. Tandem Summi Pontifices  
nunquam soliti sunt ostendere, contrarium sen-  
tientes



Sæcul. XII.  
A.C. 1198.

*Papebr.  
conat.*

vita migrasset, & mane tumulo inferretur, interim aliqua pars Cardinalium in quodam loco, qui *septa solis* dicebatur, congregata negotium electionis majore libertate & securitate tractabat. Ceteri defuncto Pontifici iusta persolvebant,

rientes Hæreticos esse habendos, aut anathema pronunciare, nisi vel jam prius vel postea in eadem causa Concilium fuerit celebratum. Ex quibus sequitur, hanc explicationem vel definitionem, quando Papa loquatur ex Cathedra, non habere certam Regulam, sed ab arbitrio cujuslibet Doctoris pendere, an velit aliquid addere vel detrahere, ut nihil dicam, hanc Infallibilitatis explicationem in Antiquitate non fundari. Longe certior est illa Regula, si dicamus, tunc infallibili modo Doctrinam Ecclesie proponi, quando eam Romanus Pontifex consentiente majore & saniore Episcoporum parte docet, secundum exemplar Concilii omnium primi de Legalibus. Hist. Tom. I. pag. 82. in quo S. Petrus quidem præfuit, proposuit questionem & primus dixit sententiam, sed non solus judicavit; nam etiam S. Jacobus judicavit, ut diserte dixit. Et tandem in Decreto additum est: visum est Spiritui Sancto & nobis &c. Consentit Doctrina sanctissimi Patris nostri Benedicti XIV. in suo Opere de Synodo Diocesana Lib. XIII. Cap. II. N. II. ubi dicit: *Siquidem Episcopi in Concilio Generali Summo Pontifici assident, non tanquam meri Consilarii, verum etiam tanquam Judices.*



bant, præfente etiam Lothario, Cardi- Sæcul. XII.  
nale Diacono, Tituli SS. Sergii & Bachi. A. C. 1198.  
Exequiis rite peractis, & his quoque Car-  
dinalibus ad Collegas accedentibus, si-  
mul omnes & soli Missæ de Spiritu San-  
cto interfuere. Tum osculum pacis in-  
vicem figunt, in pavementum se se pro-  
sternunt, & tandem confident. Ora-  
tione deinde, ut mos erat, habita, nomi-  
nantur scrutatores, qui collectis omnium  
ac singulorum suffragiis, ac diligenter  
conscriptis, rem Cardinalibus referunt.  
Pleræque voces Lothario Cardinali fa-  
vebant, etiamsi præter ipsum etiam tri-  
bus aliis non nulli sua suffragia dedis-  
sent. Quare, postquam de ejus ætate,  
quippe annos tantum triginta septem  
natus erat, aliquantum disceptassent, o-  
mnes de eo eligendo consentiunt, quod  
præclaras in eo virtutes & insignem  
Doctrinam suspicerent. Itaque Papa  
creatur reluctans, ingemiscens, & la-  
crymans eadem die, octava Januarii, an-  
no millesimo centesimo nonagesimo o-  
ctavo, & Innocentius III. appellatur.  
Tum Electione publice denunciata, cun-  
ctis novum Patrem laudantibus & ac-  
clamantibus, ac confluyente ingenti po-  
puli multitudine, ad Basilicam Constan-  
tini moxque ad Palatium Lateranense  
more consueto deducitur. Lotharius *Gest. n. I. &c.*  
ex patre Trasimundo de Comitibus Si-  
gnia,



Sæcul. XII. gnix, matre vero Clarina Romana nobi-  
 A.C. 1198. lissimæ stirpis, natus primum Parisiis,  
 1. ep. 296. deinde Bononiæ in scientiis eruditus,  
 tam Philosophiæ quam Theologiæ cog-  
 nitione cœvos & æquales omnes supera-  
 vit. Tum Præbendam inter Canonicos  
 S. Petri Romæ adeptus, & a Grego-  
 rio VIII. Papa Subdiaconus ordinatus,  
 a Clemente Papa III. Diaconus ad Ti-  
 tulum S. Sergii, qui prius ipsius Papæ  
 fuerat, creatur. Primis duobus, ex quo  
 Cardinalis fuit, annis Ecclesiam Tituli  
 sui totam prope collapsam ex ruinis ere-  
 xit suis sumtibus, & ubi ad Papatum  
 pervenit, ad eam exornandam porticum  
 columnis nixam ex bonis sibi acquisitis  
 construi curavit; quæ res omnibus ad-  
 mirationi fuit, scientibus, quam alienum  
 ab avaritia semper gessisset animum.

## §. II.

*Pontificatus Exordia.*

Quia, cum eligeretur Papa Innocen-  
 tius, Diaconatus Ordine tantum  
 initiatus erat, ejus consecratio usque ad  
 Dominicam quatuor temporum in Qua-  
 dragesima dilata est, quo temporis spa-  
 tio tamen complures Epistolas ad per-  
 ficienda non nulla negotia, præsertim in  
 causis pauperum, expediri jussit, & lite-  
 ræ istæ tantum media Bulla, seu media  
 Sigilli



Sigilli parte, signatæ erant. Ne autem supplices, post ejus Ordinationem si alias petere tenerentur, novis expensis gravarentur, promulgari jussit, eas literas non minoris esse valoris, ac si tota Bulla apposita esset.

Altera post Electionem die, nona Januarii, data encyclica ad omnes Episcopos Epistola, quid de se decrevissent Cardinales, certiores fecit, & orationis ad Deum auxilium expetiit. Singularem vero Epistolam Philippo Regi Franciæ scripsit, utpote primogenito Ecclesiæ Romanæ filio, exhortans, ut vestigiis Ludovici Regis Parentis sui insistens Ecclesiam sanctam, Matrem suam, honoraret. Scripsit quoque Abbatibus, Prioribus, & Viris in Francia Religiosis. Præterea, datis Epistolis, Patriarcham Latinum Hierosolymitanum ejusque Suffraganeos monet; iram Dei sincera pœnitentia placare studerent, promittitque, se ad liberandam Terram sanctam nervos omnes intensurum. His duas Epistolas, ad Archiepiscopum Moguntinum & Episcopos Germanos, ad Landgravium Thuringiæ, ceterosque hujus Gentis Principes, in regionibus transmarinis commorantes, datas adjecit.

Ubi tempus Consecrationi destinatum adfuit, Innocentius Sabbato vigesima

Sæcul. XII.  
A.C. 1198.

ep. 1. 83.

I. ep. I.

ep. 2.

ep. II.

ep. 12. 13.



Sæcul. XII. ma prima Februarii anno millesimo cen-  
 A.C. 1198. tesimo nonagesimo octavo Presbyter,

*Gest. n. 7.*

Innocen-  
 tius III. Papa.

altera vero die, Dominica, in quam Fe-  
 stum Cathedræ S. Petri Antiochiæ inci-  
 debat, Episcopus in Basilica S. Petri Ro-  
 mæ ordinatur & Cathedræ suæ impo-  
 nitur, præsentibus Archiepiscopis qua-  
 tuor, Episcopis viginti octo, Cardinali-  
 bus quindecim, Presbyteris sex, Diaco-  
 nis novem, & Abbatibus decem. Un-  
 de ad Palatium Lateranense solemniter  
 deductus, postquam consueta fuisset lar-  
 gitus, convivium, ut mos ferebat, cele-  
 bravit. Die sequente juramentum fidei  
 & Homagium obligans a Petro Urbis  
 Præfecto recepit, eique oblato pallio si-  
 gnum investituræ suæ tradidit, quam il-  
 le ad hæc usque tempora ab Imperato-  
 re, jurejurando adstrictus tenebat.

*n. 8.*

*1. ep. 23. 577.*

*Gest. n. 9. 10.*  
*&c.*

Innocentius, Pontificatum auspica-  
 catus, nihil antiquius habuit, quam Ec-  
 clesiæ Bona in Italia, ejectis usurpatori-  
 bus, vindicare, quales fuere Mareval-  
 dus & Conradus, Optimates Germani,  
 magnam potestatem ab Henrico VI. Im-  
 peratore adepti. Eo consilio compluri-  
 bus Nunciis in provincias missis, ipse  
 Ducatum Spoletanum & Tusciam lustra-  
 vit, in qua profectioe omne tempus,  
 quod a Festo S. Petri usque ad solemnita-  
 tem Sanctorum omnium fuit, con-  
 sumtum. Quin etiam adversus non  
 nullas

*n. 16. 17.*



nullas urbes, imperata facere detrectantes, armis usus est.

Sæcul. XII.  
A. C. 1198.

Sed curis negotiorum sæcularium haud sane delectabatur Innocentius, sæpe illam ex Scriptura sententiam repetere auditus: *Qui picem tangit, inquinabitur ab ea*, atque eo minus, quod in his Pontifex laborem maximum sentiret, emolumentum autem, quod hominum pervicacia raro flecti posset, modicum sequeretur.

Inter plures abusus, qui in Curiam Romanam irrepserant, nullum magis quam turpem lucri cupiditatem oderat, quam ut penitus extirparet, ministris suis omnibus prohibuit, ne ab ullo homine mercedis nomine quidquam exigerent, exceptis Scriptoribus & Sigilliferis, quibus præscripsit, quantum petere possent, vetuitque districte, ne ultra aliquid extorquerent; at si forte donum sponte offerretur, acciperent. A conclavi Notariorum apparitores abesse iussit, ut cunctis adeuntibus fores patenterent. Quamdam Palatii Lateranensis curiam, ubi vasa vendebantur, & Nummularii varia monetæ genera pro usura permutabant, abrogavit. Ter in Hebdomada Pontifex Consistorio publico, quod Judicium ante ipsum pœne exoleverat, præsidebat, singulas Partes litigantes audiebat, tumque minores causas

Gest. c. 41.

*Hist. Eccles. Tom. XVIII.*    Ii    aliis



Sæcul. XII.  
A. C. 1198.

aliis committebat, graviores ipse discussurus. Quod cum, acri ingenio vir, sapientissime faceret, cunctos in sui admirationem rapiebat, & multi viri doctissimi, Jurisconsulti, alique Romam petebant, nullius alterius negotii causa, quam ut Innocentium Papam auscultarent, magisque in ejus Consistorio quam in scholis proficiebant, tunc imprimis, cum, adjunctis causæ omnibus exploratis, sententiam proferret; tanta enim vi, tanta solertia, litigantium argumenta referebat, ut pars utraque, loquentem audiens, haud levem spem victoriæ conciperet, & nullus Causidicorum tam versatus existeret, qui, Innocentii sibi adversantis prudentiam & facundiam non expavesceret. In ferendis judiciis nullo movebatur partium studio, nec nisi post maturam deliberationem sententiam pronunciabat. Id vero tantam causarum molem ac negotiorum ex universo orbe Romam pertraxit, ut ab hominum memoria nunquam tot lites ibidem diremtæ fuerint.

Bela III. Rex Hungariæ ad iter in Terram sanctam suscipiendum cum exercitu voto se se obstrinxerat; cum vero gravi morbo oppressus, ad extremum ventum esse, sentiret, Andreæ filio suo, secundo partu in lucem edito, profectio-  
ne, qua ipse non posset, defungi præcepit



pit maledictione paterna ei denuncia- Sæcul. XII.  
 ta, nisi mandata morituri ultima exequ- A. C. 1198.  
 retur. Andreas Crucem, pie militan- ~~\_\_\_\_\_~~  
 tium insigne, accepit, promittens, se vo- *J. Thurocz.*  
 tum sine cunctatione impleturum. Ve- p. 77. c. 69.  
 rum parente elato, qui die Martis, pri-  
 ma mensis Maji, anno millesimo cente-  
 simo nonagesimo obiit, postquam mili-  
 tem sacræ expeditionis specie condu-  
 xisset, arma contra Emericum Regem,  
 fratrem suum, convertit. Quo com- Res Hunga-  
 perto Innocentius Papa, data Epistola, ria.  
 vigesima nona Januarii anno millesimo  
 nonagesimo octavo, Andream infra Ex- *I. ep. 10.*  
 altationem S. Crucis nempe diem deci-  
 mam quartam Septembris iter exordiri  
 jussit, addita pœna, nisi pareret, ipsum *C. licet. 6.*  
 jam illa die excommunicationis vinculo *extra de vo-*  
 constringendum esse, & jure ad Regnum *to. &c.*  
 Hungariæ ita privandum, ut si Rex E-  
 mericus sine prole moreretur, frater na-  
 tu tertius solium conscenderet. Con-  
 tra vero, quia Emericus Cœlestino Pa-  
 pæ exposuerat, Archiepiscopi Strigo-  
 niensis operam, ad turbas, quibus Re-  
 gnum agitaretur, componendas, sibi esse  
 necessariam, Innocentius Papa hunc *I. ep. 5.*  
 Præsulem votam editum petendi Hie- *c. non est. 5.*  
 rosolymam implere vetuit, usque dum *ibid.*  
 Hungaria tranquillitati fuisset reddita.

Andreas Dux, in superhabita Ponti-  
 ficis comminatione, post annos ferme  
 I i 2 viginti



Sæcul. XII. viginti demum in terram sanctam pro-  
A.C. 1198. fectus est, cumque interea Emericus  
 Rex, ejus Frater, die ultima Novembris,  
 anno millesimo ducentesimo, & post spa-  
 tium mensum sex Ladislaus Regis de-  
 functi filius, rebus humanis erepti fuis-  
 sent, Andreas mense Junio anno mil-  
 lesimo ducentesimo primo Rex salutatus  
 & coronatus, annos deinde triginta  
 quatuor Hungaris imperavit, quem ipse  
 Papa multis datis literis legitimum Re-  
 gem agnovit.

*Gest. c. 21.*  
*Sup. Lib.*  
*LXXIV.*  
*§. 62.*

Henrico VI. Imperatore fatis functo,  
 Constantia Imperatrix vidua, Panormum  
 reversa, Fridericum adolescentem filium  
 suum, Regem Siciliae coronari curavit,  
 regnumque cum ipso auspicata est. Mox  
 nunciis ad Innocentium Papam missis,  
 cum muneribus, se & filium Regno Si-  
 ciliae, Ducatu Apuliae & Principatu Ca-  
 puano cum suis ditionibus, eo more,  
 quo Antecessores ipsorum, investiri pe-  
 tit. Sed cunctabatur Papa, conside-  
 rans, quantum Transactio Beneventi,  
 anno millesimo centesimo quinquagesi-  
 mo sexto, inter Hadrianum IV. Papam  
 & Guilielmum I. Regem Siciliae inita,  
 ac a Papa Clemente III. confirmata, Di-  
 gnitati sacrae Sedis & immunitati Eccle-  
 siasticae derogaverit; erant vero qua-  
 tuor Capita in quibus laesam Ecclesiam  
 querebatur, nimirum in Electionibus,  
 Lega-

*Sup. lib.*  
*LXX. §. 14.*



Legationibus, Appellationibus, & Con-  
 ciliis. Itaque remissos ad Imperatricem  
 nuncios respondere iussit; nisi illa hæc  
 privilegia abdicaret, nunquam, quæ pe-  
 teret, esse impetraturam.

Mulier Pontificem a sententia dimo-  
 vere, oblatis ingentibus donis, conata,  
 nihil effecit.

Præterea Innocentius ad liberandos  
 captivos, quos Henricus Imperator in  
 Germaniam miserat, animum adjecit,  
 & inprimis Archiepiscopum Salernita-  
 num, qui non sine sacræ Sedis dedecore  
 detinebantur. Erat vero captivus Ar-  
 chiepiscopus Nicolaus, filius Matthæi,  
 Sicilia Cancellarii, atque in Sede Saler-  
 nitana Romualdo anno millesimo cen-  
 tesimo octogesimo primo successerat.  
 Hunc ergo libertati redditurus Innocen-  
 tius Papa, sub initia Pontificatus sui in  
 Germaniam misit Episcopum Sutrinum  
 de Gente Germanorum, cum Abbate  
 S. Anastasi, Ordinis Cisterciensis, datis-  
 que literis, Episcopis Spirensi, Argento-  
 ratensi, & Wormatiensi præcepit; Ar-  
 chiepiscopum in libertatem vindicarent,  
 adhibitis, si necesse esset, Censuris Ec-  
 clesiasticis, addita comminatione, se,  
 nisi obedientes haberet, totam Germa-  
 niam Interdicto subjecturum. Philip-  
 pus Dux Sueviæ, cum in Italia copiis  
 Henrici VI. Imperatoris Præfectus Pa-

Sæcul. XII.  
 A.C. 1198.

1. ep. 24.



Sæcul. XII. A.C. 1198. ep. 25. trimonium Ecclesiæ invasisset, propterea a Cœlestino Papa fulmine Vaticano ictus fuerat, & quia a nemine nisi a Pontifice absolvi poterat, Romam ipsi pergendum fuisset. Sed Innocentius Episcopo & Abbati, Nunciis suis, in mandatis dedit, si Princeps ille Archiepiscopum Salernitanum liberum præstaret, cum Apostolicæ Sedis auctoritate a Censuris & longi itineris molestia absolverent.

## §. III.

*Philippus & Otto Reges Romanorum.*

Pontificis Nuncii in Germaniam pervenientes comperiunt, Philippum Ducem a Principum parte Regem fuisse electum. Juventus enim Friderici, qui jussu Henrici parentis sui Imperatoris coronatus fuerat, contemnebatur, & licet Philippus primum professus fuisset, quod jure tutelari defendere cogitaret nepotem ex fratre, sibi ipsi tamen vigilabat, ac postea obtinuit, ut Erfordiæ a magno Principum numero Rex proclamaretur, nempe Austria, Bavaria & tota Germaniæ, qua Orientem spectat, parte sibi faventibus. Hæc electio die Veneris, in tertia Quadragesimæ hebdomada, videlicet sexta Martii, anno millesimo centesimo nonagesimo octavo

*Otto a  
S. Blasio  
c. 46.*

*de neg. Imp.  
ep. 136.*



Etavo peracta. Contra vero Archiepi-  
 scopus Coloniensis, Trevirensis, & ali-  
 quot alii Principes, cum Andernacum  
 convenissent, & electionem Friderici  
 pueri abrogassent, Philippi inauguratio-  
 ne quoque, tanquam viri a sacra Sede  
 excommunicati, rejecta, primum qui-  
 dem Ducem Zaringiæ Bertoldum Im-  
 peratorem nominarunt, qui paulo post,  
 repudiato Imperio, Philippum Dominum  
 suum agnovit. Ergo illi Ottonem Du-  
 cem Saxoniae, Henrici Leonis filium, e-  
 ligunt, & Aquisgrani coronant. Unde  
 Philippus, sua plurimum interesse intel-  
 ligens, ab Excommunicatione absolvi,  
 Nuncios Wormatiæ diversantes adit,  
 & secreto, omnique ritu solemniter omis-  
 so, nec præstito juramento, absolutio-  
 nem impetrat. At Archiepiscopum Sa-  
 lernitanum, ejusque fratres simul ca-  
 ptos, nullo petito redemptionis pretio,  
 dimisit. Paucis exinde diebus Philip-  
 pus ab Archiepiscopo Tarentasiano Mo-  
 guntiae coronatur, quia Episcopi Ger-  
 mani officium recusabant. Nec etiam  
 illi, qui interfuerunt, cultum Pontifica-  
 lem induerant, nisi solus Episcopus Su-  
 trinus Papæ Nuncius. Quare Romam  
 reversum, & propria confessione con-  
 victum, quod Philippi Regis unctionem  
 approbasset, & in ejus Absolutione so-

Sæcul. XII.  
 A.C. 1198.

Chron.  
 Godef. mon.  
 an. 1198.

Rog. Hoved.  
 p. 776.

Gest. Innoe.  
 c. 22.



Sæcul. XII. lemnes Ritus omisisset, Papa ex sua Dic-  
A C. 1198. cesi, quoad viveret, relegavit.

## §. IV.

*Suer, Tyrannus Norwegiæ.*

*Saxo Gram.* Annis abhinc aliquot Regnum Norwe-  
*lib. 14. p. 311.* giæ sub Tyrannide gemebat cujus-  
 dam Presbyteri Apostatæ, *Suer* dicti,  
 qui Principatum consecutus fuerat. Is  
 fabri ferrarii filius, contra Canones or-  
 dinatus, & aliquamdiu in alia provincia  
 Sacerdotis munere functus, inde in Nor-  
 wegiam migravit, cultu militari ince-  
 dens. Ibi cum aliquando ex acie fu-  
 gientium agmen conspexisset, subito  
 consilio Ducis officium arripiens, in-  
 gruentes Victores repulit. Ut obscu-  
 ros natales dissimularet, filius Sivardi  
 ex amica genitus, atque Haraldi Hy-  
 bernalis nepos credi volebat, sibi que ipsi  
 nomen Magni tribuebat. Norwegiam  
 misere depopulabatur, opprimebat Ec-  
 clesias, Clericos vexabat, conterebat  
 pauperes, Optimates laceſſebat. Ut  
 vero auctoritatem apud populum sibi  
 conciliaret, affirmare audebat, Regnum  
 a Cœlestino Papa sibi fuisse confirma-  
 tum, atque ut id demonstraret, exhibe-  
 bat sigillum spurium, quod compluri-  
 bus literis, Papalibus scilicet, subjece-  
 rat. His dolis ad Innocentium Papam  
 dela-



delatis, datis literis ad Archiepiscopum Sæcul. XII.  
 Nidrosiensem, omnesque Episcopos Præ- A.C. 1198.  
 fulesque Norwegiæ mandavit; cunctos  
 Suer istius sectatores excommunicarent, 1. ep. 382.  
 & totam regionem, ei parentem, Inter-  
 dicto constringerent. Quibus subjun-  
 xit: *Scire vos oportet, hujus hominis*  
*Nuncios, cum in conspectum nostrum ve-*  
*nissent, nihil penitus obtinuisse. Qua-*  
*re si aliquid a se impetratum jactitent,*  
*litteras habent confictas a Falsariis, quo-*  
*rum non exiguum esse numerum initio*  
*Pontificatus nostri deprehendimus. Hæc*  
 Epistola sexta Octobris anno millesimo  
 centesimo nonagesimo octavo data. Si-  
 mul Papa Regibus Daniæ & Sueciæ scri-  
 psit, exhortans; Suer Tyranno arma Ep. 383.  
 inferrent, & Ecclesiis populisque op-  
 pressis succurrerent. Privatam quoque  
 ad Archiepiscopum dedit Epistolam,  
 laudans ejus constantiam, qua Tyranno  
 forte pectus objecisset, & præcipiens;  
 Episcopum Bergensem Suffraganeum  
 suum ab officio Sacerdotali suspenderet,  
 qui scelestum grassatorem ad castra  
 proficiscentem secutus, ipso præsentem  
 Mysteria Divina celebraverat.

Haud diu post Innocentius Papa Pri-  
 matum Urbis Lundenfis, quæ tunc Da-  
 niæ caput erat, confirmavit. Hujus *Sup. Lib.*  
 Ecclesiæ fundamenta Hadrianus IV. cum *LXIX. §. 50*  
 in illa Regione cum Legati Cardinalis *Sax. lib. 14.*



Sæcul. XII.  
A.C. 1198.

potestate versaretur, jecerat. Eam deinde Summi Pontificatus fastigium adeptus erexerat, & constituerat, ut Archiepiscopus Lundensis Archiepiscopum Sueciæ, nempe Upsaliæ ordinaret, eique Romani Pontificis nomine Pallium traderet. Vi hujus Legis Stephanus Archiepiscopus Upsaliæ ab Esquilio Archiepiscopo Lundensi Senonibus, Alexandro III. Papa præsentem, consecratus fuerat. Tum Joannes & Petrus, Stephani successores ab Absolone Esquilii successore ordinati, & Primatus a Romanis Pontificibus Alexandro, Lucio, Urbano, Clemente & Cœlestino III. confirmatus. Itaque idem privilegium Innocentius Papa, data Bulla vigesima tertia Novembris anno millesimo centesimo nonagesimo octavo, atque ad Absolonem Archiepiscopum Lundensem directa, roboravit.

§. V.

*Pacta Pontificis & Reginae Siciliae.*

Anselmus Archiepiscopus Neapolitanus & Aimericus Archidiaconus Syracusanus, cum viris Magistratu conspicuis, ab Imperatrice Constantia Romam missi, longo & difficili negotio tandem obtinuerunt, ut Papa Reginae ejusque filio Siciliae Investituram concederet, qui Cardinalem Octavianum, Episcopum Ostien-

*Gest. n. 21.*



Ostiensem, misit suo nomine fidei præstandæ jurejurandum recepturum. O- A.C. 1198.

Stavianus plures Bullas deferendas suscepserat; in prima concedebatur possessio Regni Siciliae, & adjectarum Ditionum, ea conditione, ut Imperatrix in manibus Legati jurejurando promitteret, se Homagium Papæ dicturam, ut primum in ejus conspectum venire posset, eodemque juramento Regem ipsius filium, ubi ad ætatem maturam pervenisset, se esse obstricturum. Præterea census annuus mille nummorum, qui in illis Italiae partibus lingua vulgari *Squifates* dicebantur, Ecclesiae Romanæ penderetur. Bulla secunda, quæ etiam ad Imperatricem & ejus filium dirigebatur, Electionis Episcoporum formam in Sicilia in hunc modum statuebat: *Sede vacante Capitulum obitum Episcopi vobis denunciaret. Tum conveniant Canonici & virum Dignitati parem eligant. Nomen Electi illico promulgent, vosque quid actum fuerit, certiores faciant, ac consensum vestrum requirant, sine quo Episcopus electus in possessionem non immittatur. Denique Diocesim administrare non præsumat, nisi postquam auctoritate Sedis Apostolicæ fuerit confirmatus.*

I. ep. 410.

ep. 411.

Bulla tertia ad Episcopos Clericosque Siciliae directa easdem Constitutiones

ep. 412.

nes



Sæcul. XII. nes de Electione Episcoporum repetit.  
 A.C. 1198. Tum subjungitur: *Jubemus, vos deinceps ad sacram Sedem, ubi opus fuerit, libere appellare, & appellationi obedire.*

Sup. Lib.  
 LXIV. §. 56.

ep. 413.

Gest. n. 21.

\* Tricariensem.

n. 23.

*Legatos etiam ad vos mittemus, quotiescunque necessitas postulaverit, quibus vos submittetis, nec ullum privilegium vel Rescriptum a sacra Sede impetratum objicere liceat.* Hæc clausula de pactis, quæ Monarchia Siciliæ dicta sunt, & de Transactione cum Hadriano IV. inita, accipienda est. Similis Bulla juncta erat, ad Præsules & Clericos Apuliæ data, atque in ultima Legato Octaviano mandata continebantur. Sed antequam in Siciliam pervenisset, Constantia Imperatrix e vivis excefferat.

Nam illa, cum sibi supremum vitæ tempus advenisse sensit, Testamento condito, Walterum Episcopum Trecentem\*, Siciliæ Cancellarium, Archiepiscopos tres Panormitanum, Montisregii, & Capuanum filio suo Consiliarios dedit, Papam vero Regni *Bailium*, id est, illius ætatis lingua Regni Administratorem constituit, addito annuo censu, quamdiu Regno præesset, triginta millium Tarinorum (erant vero Tarini moneta aurea) eique præterea sumtus, si quos in Regni defensione faceret, reddi jussit. Obiit Constantia vigesima septima Novembris anno millesimo centesimo nonage-



nagesimo octavo. Nec mora, Gregorius Cardinalis a Pontifice in Siciliam Sæcul. XII. A. C. 1198. mittitur, cum ceteris Rectoribus negotia Regni tractaturus.

Illi iuramentum quidem tanquam I. ep. 557. Administratori præstiterunt; sed tamen 562. 564. ejus auctoritatem vilipendebant, maxime Cancellarius, qui æquo animo superiorem ferre non poterat. Itaque Cardinalis haud diu in Sicilia moratus Romam rediit.

### §. VI.

*Pontifex hortatur Fideles ad suscipiendum Bellum sacrum.*

Innocentius Papa Fidelibus in Terra Gest. n. 46. sancta degentibus opem ferre ardentem cupiebat, haud ignarus a multis Ecclesiæ Romanæ objici, quod onera gravia in humeros hominum imponeret, Matth. 23. 4. quæ ipsa digito suo movere nollet. Quamobrem delectis duobus Cardinalibus, Soffrido Presbytero, Tituli S. Praxedis, & Petro Capuano Diacono, Tituli S. Mariæ in via lata, Crucem, peregrinantium Insigne, tradidit, ut alios tam exemplo quam verbis traherent. Simul, edito mandato, constituit; omnes Clerici partem reddituum suorum quadragesimam ad bellum sacrum conferrent. Se ipsum vero & Cardinales partem



Sæcul. XII.

A.C. 1198.

partem decimam daturus promisit. Triremem, mille trecentarum librarum impendio, construi jussit, eamque, comportata annona, Messinam, quodam Templario, Hospitalario & Monacho Ducibus, misit.

Præterea Innocentius Epistolam Encyclicam ad omnes Episcopos, Principes, Clericos, populosque Franciæ, Angliæ, Hungariæ & Siciliæ directam edidit, in hunc ferme modum: *Postquam urbem Hierosolymam miserrime amisimus, Sedes Apostolica clamare & excitare populos Christianos ad ulciscendum injuriam Jesu Christo, ex hereditate sua pulso, illatam nunquam cessavit. Olim Urias domum suam intrare & accedere ad uxorem volebat, dum Arca Domini in castris existebat. Nunc vero Principes nostri, publicæ calamitatis tempore, vitæ amoribus indulgent, deliciis se implent, abutuntur suis divitiis, odio implacabili se se mutuo insectantur, propriæ tantum causæ memores. Non tanguntur insolentia inimicorum nostrorum, Christianis exprobrantium: Ubi est Deus vester, qui sua se potentia liberare de manibus nostris non potest? Templum vestra profanavimus, & urbem, in qua superstitionem vestram natam dicitis. Arma Francorum, Anglorum, Germanorum confregimus, Hispania ferox bis jam*

2. Reg. II. II



jam a nobis domita, jamque collectis universis viribus vestris propemodum nihil effecistis. Quid igitur restat, nisi illis, quos fuga vestra omni auxilio destitulistis, & custodiam modicæ ditionis demandastis, ejectionis, in terras vestras transeamus, ac Christianorum nomen, memoriamque in perpetuum deleamus?

Sæcul. XII.  
A. C. 1198.

Tum Papa sermonem prosequitur: Animum ergo capeffite, filioli mei, fiduciam in Divina omnipotentia ponite, ite pro illo militaturi, qui vobis esse, vivere, & quidquid habetis dedit, quilibet pro facultatum suarum modo conferat. Si quis in tanta Ecclesiæ necessitate nullum Jesu Christo obsequium præstet, quam excusationem, stans aliquando coram ejus tribunali, afferet? Si Deus pro salute hominis mortuus est, an homo pro Deo mori perhorrescat? an bona temporalia illius bono impendere recusabit, a quo æternas accipit divitias? agite ergo, omnia ad expeditionem mense Martio venturo parata sint. Urbes & Principes congruum numerum armatorum in Terram sanctam mittant, qui ibi saltem annos duos militent. Et si viros nequeant, saltem pro rata parte pecuniam suppeditent.

Qui ipsimet & suis sumtibus militabunt, gaudeant Indulgentia plenaria omnium peccatorum suorum, de quibus  
corde



Sæcul. XII.  
A.C. 1198.

Bellum sa-  
crum.

*corde doluerint, & pœnitentiam ore  
professi fuerint. Qui pecuniam obtul-  
erint, & qui sumtibus alienis, duos an-  
nos, operam præstiterint, eadem Indul-  
gentia fruantur. Bona pie peregrinan-  
tium sub nostra & omnium in Eccle-  
sia Prælatorum tutela sint. Si quis  
Crucigerorum iurejurando se obstrinxit,  
quod usuras daturus sit, ab Episcopis  
ab hoc onere absolvatur. Creditores  
autem nihil exigant, & si acceperint,  
resituant.*

*Ceterum de Judæis præcipimus Po-  
testatibus sæcularibus, ut eos ad relaxan-  
das Crucigeris usuras compellant, &  
quoadusque Judæi obsecuti fuerint, Chri-  
stiani, sub excommunicationis pœna, ab  
omni mercatu & ab omni omnino com-  
mercii genere cum eis abstineant.*

Quod hic de usuris statuitur, ideo fit,  
ut ab iis Christiani Crucigeri certo cer-  
tius liberentur; non autem sequitur,  
usuras in quocunque alio casu ab Eccle-  
sia approbari. In fine Epistolæ Ponti-  
fex Fideles hortatur, ut mores emendent,  
& iratum Deum placent, imprimis illi,  
qui in regionibus transmarinis sedem fi-  
xerant, ubi multo licentius quam in pa-  
tria sua peccabant. Hæc Epistola de-  
cima quinta die Augusti anno millesimo  
centesimo nonagesimo octavo data est,  
atque in exemplo, ad Archiepiscopum  
Nar-



Narbonensem directo, Papa ipsi ac Epi-Sæcul. XII. scopis Nemaufensi & Arausicano præci- A.C. 1198.

pit, ut ea, quæ continet, adscitis sociis uno Templario & Hospitalario, exequantur. lis non obstantibus, quæ in ista Epistola contra Judæos statuta leguntur, Innocentius Papa anno posteriore, Antecessorum suorum exempla secutus, iisdem Tutelam sacræ Sedis concessit, prohibuitque, ne ad Baptismum recipiendum cogerentur, ne iis res suæ vi adhibita eriperentur, aut eorum consuetudines laudabiles mutarentur. Ne turbarentur, cum Festa sua celebrant, ne ad præstanda obsequia, quæ antea ab ipsis nunquam exacta, compellerentur, & tandem ne eorum cœmeteriis aliquod spatium detraheretur, aut effoderentur eorum cadavera. Hæc Epistola die decima sexta Septembris anno millesimo centesimo nonagesimo nono data.

2. ep. 302.

Soffridum alterum ex Cardinalibus Legatis Innocentius Papa Venetias misit, ubi ipsius hortatu Dux & non nulli de populo, edito voto, Crucem acceperunt. Idem peregrinantium Insigne Marchio Montisferrati, Episcopus Cremonensis, multi ex Longobardia viri Nobiles, cum innumerabili populi multitudine, arripuerunt. Cardinali Petro Capuano in Franciam misso negotia tria gravissima demandata; inprimis bellum

n. 47.

Hist. Eccles. Tom. XVIII. Kk sa-



Sæcul. XII.  
A. C. 1198.

n. 50.

Sup. Lib.  
LXXIV.

S. 57.

1. ep. 4. 171.

ep. 348. ep.  
347.

Rig. p. 42.

Ville - hard.

Rig. p. 42.

Sup. lib.  
LXXIII.

S. 41.

facrum prædicaret, tum jurgia inter Franciam & Angliam componeret ac pacem reduceret, & Regem Franciæ ad revocandam Ingeburgem, uxorem suam legitimam, compelleret. Nam Cœlestinus Papa, cum primo Regem ad recipiendam Ingeburgem vehementer urfisset, postea, ut memoravimus, dissimulaverat. Sed ubi Innocentius Papa Petri Cathedram conscendit, Episcopo Parisiensi scripserat, jubens, ut ipse Regem officii sui commoneret. Scripserat Regi quoque, rursusque literas deferendas dedit Petro Capuano, quem omnes terras, Regis potestati subjectas, Interdicto ligare jussit, nisi Philippus admonitus intra mensem deinde Ingeburgi affectum maritalem redderet. Petrus vero Legatus ante Natalem Domini eodem anno millesimo centesimo nonagesimo octavo in Franciam non pervenit, ubi, illius ætatis vernacula, *Maître Perron de Chapes Chardonas de l'apostoile*, seu *Magister Petrus de Capua, Apostolici Cardinalis* dicebatur. Ceterum hoc anno mense Julio Philippus Rex Judæos contra omnium opinionem, Edicto, quo eos sub Regni auspicia expulerat, abrogato, Parisios revocavit.



## §. VII.

Sæcul. XII.

A.C. 1198.

*Concilium Senonense. Manichæi.*

Eodem anno in Territorio Nivernensi complures Hæretici Popellicani \* seu \* Publicani. Manichæi, ab iis, qui se converterunt, *Chro. Rob. Antis. an. 1198.* proditi sunt. Eorum Caput fuit quidam Terricus nomine, qui postquam diu Corbiniaci in specu subterraneo latuisset, abstractus convictus & flammis consumtus est.

In urbe *Charitate* ad Ligerim amnem cum complures viri opulentissimi, die præstituta, qua in causa Hæresis respondere debuissent, abfuissent, excommunicati, & postea potestati sæculari traditi. Quia vero urbs *Charitas* in Diocesi Antissiodorensi posita est, a loci Episcopo rogatus Michael Archiepiscopus Senonensis advenit; tum etiam Episcopi Nivernensis & Meldensis adfuerunt. Itaque Clericis, populoque in urbe congregatis, inquirere in eos cœperunt, qui publica fama Hæresis Popellicanæ accusabantur, patuitque Decanum Nivernensem, & Rainaldum Abbatem S. Martini, magno Catholicorum scandalo, hac infamia laborare. Unde Archiepiscopus ab officio suspensis diem præstituit, qua Antissiodorum venirent, coram eo causam dicturi. Adfuit Decanus cum quibusdam Jurisconsultis, in scientia Le-

*Innot. lib. II.**ep. 63. 99.**to. II. Conc.**p. 3.*



Sæcul. XII. gum civilium & Canonum versatis, Archiepiscopo & duobus Episcopis Antisiodorensi & Nivernensi pro tribunali sedentibus, & quia nemo contra eum Actorem se gerebat, Archiepiscopus ex Officio Judicis recipi & audiri testes iussit, tumque eorum dicta vulgari. Porro Abbatem S. Martini Niverni Ecclesie suæ Prior non Hæresis modo, sed præterea adulterii, usuræ, aliorumque criminum accusabat, etiam Actoris munus obiturus, cum Abbas ad Papam appellavit. Verum Archiepiscopus nulla Appellationis frustratorie habita ratione, Actori potestatem fecit producendi testes, qui erant ejusdem Congregationis Canonici, quippe illa Abbatia Ordinis S. Augustini fuit. Tum documentis omnibus comparatis Archiepiscopus sententiam proferre ad tempus Concilii distulit, quod Senonibus cum suis Suffraganeis celebraturus erat, diemque dixit, qua Partes se sisterent.

In eo Concilio adfuere Archiepiscopus Senonensis, Episcopi Trecensis, Antisiodorensis, & Nivernensis, cumque Decanus Nivernensis in conspectum Judicum prodiisset, objecit non nulla contra testes, & aliquot argumenta in suam causam protulit, tumque sententiam pronunciari petiit. Archiepiscopo, postquam cum Episcopis deliberasset, visum,

non



non satis liquere culpam Hæresis. Nec Sæcul. XII.  
 etiam Purgationem Canonicam, quam A. C. 1198.  
 Decanus præstiturum se dicebat, acce-  
 pravit, quod ei scandalum exploratissi-  
 mum noceret, & demonstratum fuisset,  
 quod non modo cum hæreticis versatus  
 fuisset, sed etiam eorum familiaritatem  
 studiose quærivisset. Itaque Archiepi-  
 scopus Decanum dimisit, sive dispensan-  
 di sive rigorem Canonum augendi pot-  
 estate usus.

Abbas quoque S. Martini, ex urbe Ni-  
 vernensi, Judicium Concilii Senonensis  
 subiturus videbatur, & postquam quæ-  
 cunque in rem suam esse existimabat, in  
 medium attulisset, sententiam denun-  
 ciari petiit. Sed ecce! Episcopis sin-  
 gulis sua suffragia expromentibus, in-  
 trat Abbatis Causidicus, & Appellatio-  
 nem ad Papam, quam Abbas, antequam  
 causa discuteretur, interjecerat, confir-  
 mavit. Quamvis autem nullius mo-  
 menti esset hæc Appellatio, & Abbas  
 clam discessisset, noluit tamen Archie-  
 piscopus eum Hæresis condemnare, sed  
 adulterii aliorumque scelerum manife-  
 ste convictum deposuit, aliumque sibi  
 Abbatem Canonici S. Martini elegerunt.  
 Ceterum Archiepiscopus testium inter-  
 rogatorum effata ad Papam misit, unde  
 conficiebatur, quod Rainaldus Abbas er-  
 rores duos docuisset; unum Stercora-  
 riorum,



Sæcul. XII.  
A. C. 1198.

reriorum, dicentium, corpus Domini nostri in Evcharistia digestionem, & omnibus, quæ exinde sequebantur, esse obnoxium. Alterum, in fine futurum esse, secundum Doctrinam Origenis, ut omnes salvarentur. Ex his formam, quæ in Judiciis Ecclesiasticis servabatur, discimus.

Decanus Nivernensis Romam profectus, conspectum Innocentii Papæ subiit, & in Consistorio auditus, id præcipue in defensionem suam afferebat, quod testes contra se recipi non debuissent, quia nullus adfuerat Actor, & ipse purificationem Canonicam subire non detrectaverat. Papa, sententiæ ab Archiepiscopo Senonensi latæ nihil detrahens, Decanum ei remisit, jubens, ut cum quatuordecim viris sui Ordinis se purgaret; quod si præstitisset, in Beneficium suum restitueretur. Si vero tot innocentia suæ testes producere non posset, deponeretur, & in Monasterio ad agendam pœnitentiam includeretur.

2. ep. 63.

Hæc sententia die septima Maji anno millesimo centesimo nonagesimo nono prolata.

Nec Abbas S. Martini Niverni, nec quisquam alius ipsius nomine Romam venit, cumque Papa diu expectasset, & causam non satis clare expositam existimaret, iudicium Petro Capuano, Legato suo,



fuo, atque Odoni Sulliacensi Episcopo Sæcul. XII.  
 Parisiensi commisit, addito mandato; si A. C. 1198.  
 scelerum, quæ Accusatores attulerant,  
 convinceretur, etiam a sacerdotio depo-  
 situs in Monasterium detruderetur, ne  
 desperatione actus ad Hæreticos con-  
 verteretur. His Mandatis dies decima *2. ep. 99.*  
 nona Junii anno millesimo centesimo  
 nonagesimo nono apposita.

## §. VIII.

*Rainerius & Guido Mandatarii in  
 causa Hæreticorum.*

In illis Franciæ regionibus, quæ meri-  
 diem spectant, Hæresis Manichæorum,  
 & Waldensium his recentiorum, adhuc  
 grassabatur. Quod ex compluribus In-  
 nocentii Papæ Epistolis, anno millesimo  
 centesimo nonagesimo octavo, Pontifi-  
 catus sui primo, datis cognoscimus.  
 Scripsit Archiepiscopo Augustæ Auscio-  
 rum; ipse cum ceteris Episcopis ad ex-  
 tinguendam in Vasconia hanc pestem  
 omnes vires intenderet, atque etiam, si  
 opus esset, Principum populorumque ar-  
 ma adhiberet. Inde etiam credidit In-  
 nocentius, facilius se posse Episcopo  
 Carcassonensi annis fracto petitam pot-  
 estatem facere, munus Episcopale dimi-  
 tendi.

*1. ep. 87.**ep. 494.*



Sæcul. XII.  
A. C. 1198.

ep. 94.

Duos Monachos Ordinis Cisterciensis Rainerium & Guidonem in has provincias ad convertendos Hæreticos delegavit, datisque ad Episcopos literis præcepit; venientes humane exciperent, laborantes adjuvarent, & omnia, quæcunque adversus contumaces Hæreticos, eorumque Sectatores decrevissent, accurate servarent. *Principibus quoque, subjungit Papa, Comitibus & omnibus provinciæ vestræ Optimatibus præcipimus, ut eos contra Hæreticos muniant & illa potentia tueantur, quam ad vindictam malorum acceperunt. Itaque postquam Frater Rainerius in Refractorios Censuram excommunicationis pronuntiaverit, Principes eorum bona publico arario addicant, ipsos e terris suis in exilium ejiciant, & si manere audeant, majore rigore in eos animadvertant. Porro Fratri Rainerio potestatem communicavimus, qua Principes ad hæc servanda Excommunicatione & ditionum ipsorum Interdicto compellat. Scribimus quoque cuncto vestræ provinciæ populo, & monemus, ut, Fratribus Rainerio & Guidone id petentibus, contra Hæreticos moveant, omnibusque, qui Legatos nostros bona fide adjuverint, eam Indulgentiam, quam lucraturi essent, si Romam vel ad S. Jacobum proficiscerentur, concedimus. Hæc Epistola Encyclica*



clica fuit, atque ad Archiepiscopos A-Sæcul. XII.  
 quensem, Narbonensem, Ausciensem, A.C. 1198.  
 Viennensem, Arelatensem, Embrodu-  
 nensem, Lugdunensem & Tarraconen-  
 sem, eorumque Suffraganeos, missa. A-  
 liam quoque similem Papa Principibus  
 & illarum Ecclesiarum populis scripsit.  
 Ceterum hujusmodi Mandatarii a Papa  
 contra Hæreticos delegati posterioribus  
 Sæculis Inquisitores dicti sunt. Haud  
 diu post Innocentius, Fratrem Rainerio in  
 Hispaniam misso, soli Fratri Guidoni  
 negotium in Francia perficiendum com-  
 misit. Anno superiore millesimo cen-  
 tesimo nonagesimo septimo Petrus II.  
 Rex Arragoniæ Regnum auspicatus ni-  
 hil prius molitus est, quam edita lege  
 Waldenses persequi. Tribunis, Recto-  
 ribus, ceterisque Præfectis in ea man-  
 dabat, Hæreticos intra præscriptum tem-  
 pus e Regno suo pellere, ipsique solum  
 vertere jubebantur, nisi, bonis suis Fi-  
 sco addictis, flammis deleri vellent.  
 Quod Decretum Raimundo Archiepi-  
 scopo Tarraconensi, Episcopis, & regni  
 Optimatibus præsentibus condatum.

Occasio autem Rainerium in Hispa-  
 niam mittendi hæc fuit. Cum Alphon-  
 sus Rex Legionis Berengariam, Alphon-  
 si Regis Castiliæ, sobrini sui, filiam con-  
 nubio sibi junxisset, jusserat Pontifex, ut  
 eam dimirteret. Ergo Rainerius in man-  
 datis

ep. 165.

Append.  
 Marc. Hisp.  
 n. 487

Ep. 92. Ro-  
 deric. VII.  
 c. 31.

Kk 5

datis



Sæcul. XII.  
A.C. 1198.

datis habebat, Pontificis præceptum Regibus secundo denunciare; hoc matrimonium solverent; refractarios excommunicare, eorumque ditiones Interdicto Ecclesiastico subjicere.

ep. 99.

Gest. Inn.  
c. 58.

Præterea jussus erat Rainerius, a Rege Portugalliæ exigere tributum centum numorum & quatuor unciarum auri, quas ipsum sacra Sedi pendere debere Papa affirmabat. Rainerius, postquam in Hispaniam pervenit, Regem Legionis bis monitum, Berengariam remove, locum diemque præstituit, quo coram ipso se sisteret, atque spreto suo mandato absentem Regem excommunicationis fulmine feriit, Regnumque vinculo Interdicti constrinxit. Regem vero Castiliæ nulla ligavit Censura, quia mandatis Papæ obtemperans responderat; recepturum se filiam suam, si amaro rejiceretur.

### §. IX.

#### *Ordo Trinitariorum.*

Anno millesimo centesimo nonagesimo octavo exeunte, Innocentius Papa Regulam Ordinis S. Trinitatis de Redemptione captivorum confirmavit. Id cognoscimus ex Bulla ad Joannem de Mata directam, illius Ordinis primum Ministri; ita enim viri illi Religiosi Præpositos suos vocabant. Joannes anno



no millesimo centesimo sexagesimo in <sup>Sæcul. XII.</sup>  
 Oppido *Falcone* in finibus Provinciae <sup>A. C. 1198.</sup>

natus, in primis literis eruditus est A-  
 quis, unde in domum patris sui rever-  
 sus postea in cellulam vicinam, Eremi- <sup>Baillet.</sup>  
 colæ paratam, secessit, ut totum se piis <sup>8. Febr.</sup>  
 exercitationibus dederet. Sed propin-  
 quorum suorum ventitantium concursu  
 fatigatus, consentiente patre, Parisios  
 se contulit, Theologiæ operam daturus.  
 In quo studio ita profecit, ut per gradus  
 omnes ascendens Doctorum Lauream  
 adeptus sit. Exinde cum fama cujus-  
 dam Eremitæ, nomine Felicis Valesii,  
 ad Joannis aures pervenisset, ad eum in  
 solitudine, quæ *Cervus frigidus* diceba-  
 tur, prope oppidum, vulgo *Gandelu*, in  
 Diœcesi Meldensi invisit, permansitque  
 cum eo, oratione præcipue & magna  
 vitæ austeritate se se exercens.

Quadam die Joannes de Mata Feli-  
 cem participem consilii sui fecit, quod,  
 cum primum Missæ Sacrificium obtu-  
 lisset, conceperat; totum se se redem-  
 tionem captivorum esse dediturum. Ma-  
 ximus enim eorum numerus, præsertim  
 illa sacrorum bellorum ætate, in vincu-  
 lis Infidelium gemebat, quæ res Joan-  
 nem, in Provincia natum, magis quam  
 alios affligebat. Placuit Felici hæc a-  
 mici voluntas, ac postquam jejunassent,  
 orassentque, cum crederent, Dei nutum  
 se



Sæcul. XII. se cernere, statuerunt, Romam ire, &  
A.C. 1198. Papæ approbationem petere. Itaque  
 iter cepissent, exeunte anno millesimo  
 centesimo nonagesimo septimo, cum es-  
 set hyems summa, & Romam mente Ja-  
 nuario sequente, Innocentio III. illis  
 diebus electo, perveniunt. Postquam  
 Papa Joannem de Matta propositum  
 suum exponentem, rogantemque, ut il-  
 lud auctoritate Apostolica muniret, au-  
 divisset, ut negotium istud plene co-  
 gnosceret, eum remisit ad Episcopum  
 Parisiensem, & Abbatem S. Victoris, qui-  
 bus hujus Doctoris mens erat explora-  
 tissima. Cum iis igitur Joannes Regu-  
 lam novi Ordinis sui composuit, in qua  
 constituitur; ut Fratres tertiam omnium  
 bonorum suorum partem ad opus redi-  
 mendi captivos servent, omnes eorum  
 Ecclesiæ soli Sanctæ Trinitati sacræ sint,  
 in qualibet domo præter Ministrum plu-  
 res non sint quam Clerici tres & toti-  
 dem Laici. Veste candida incedant,  
 & in cappis suis signa gerant, quibus di-  
 scernantur. Iter facturi nunquam con-  
 scendant equos, sed tantum asinos.  
 Unde aliquanto tempore Fratres Asini-  
 ni dicti sunt.

Præterea majore anni parte jejuna-  
 bant, nec alias carnes piscesve quam  
 dono sibi datos, aut inemptos & ex pro-  
 priis vivariis acceptos comedebant, nisi  
 forte



forte in itinere. Ministrum sacerdotio  
 initiatum esse oportebat, & Congrega-  
 tioni a Confessionibus; his Ministris or-  
 dinariis Minister major præerat, qui  
 deinde Generalis appellatus est. Cum  
 Officium Divinum celebrarent, morem  
 Abbatix S. Victoris, quantum permitte-  
 bat exiguus eorum numerus, sequeban-  
 tur. Capitulum privatum cujuslibet  
 domus singulis annis habebatur, castiga-  
 tiones Caritate nitebantur, & tota hæc  
 Regula magnam omnino Pietatem redo-  
 let. *Cervus Frigidus* eorum domus  
 princeps fuit, quam eis Margaritha, Bur-  
 gundiæ Comitissa contulit, & post an-  
 nos exinde triginta Capitulum Parisien-  
 se veterem in urbe Ecclesiam S. Matu-  
 rino dedicatam, quæ prius Eleemosyna-  
 ria S. Benedicti nominabatur, iisdem de-  
 dit. Unde in Francia Maturini vo-  
 cantur.

Sæcul. XII.  
 A.C. 1198.

I. ep. 252.

Episcopus Parisiensis & Abbas S. Vi-  
 storis Regulam novi Ordinis ita con-  
 cinnatam, additis literis suis ad Inno-  
 centium Papam miserunt, qui non nullis,  
 rogante Joanne de Mata, adjectis eam  
 confirmavit, Bulla die decima septima  
 Decembris anno millesimo centesimo no-  
 nagesimo octavo data. Mense Martio  
 anni sequentis, Papa, data ad Regem  
 Marocanum epistola, eidem quosdam  
 viros Religiosos Trinitarios commenda-  
 vit,

Hist. univ.  
 to. 2. p. 524.

Dubois hist.  
 Paris. to. 2.  
 p. 327.

d. ep. 481.

II. ep. 9.



Sæcul. XII. vit, ejus Regnum adituros, ut Instituti  
A.C. 1198. sui officii defungi inciperent, nempe  
 Christianos ex manibus Infidelium redimerent, aut ex manibus Christianorum Infideles, cum captivis Christianis deinde permutandos.

*vid. Jac. Vitriac. hist. Occid. c. 25. Alber. Chro. 1198.* Exinde Trinitariorum Ordo in Francia, in Longobardia, in Hispania, quin etiam in Regionibus ultra mare positis, mirum in modum propagatus est. Albericus Monachus, qui ab ortu hujus Instituti post annos quadraginta scripsit, commemorat, jam tunc domos Trinitariorum ferme sexcentas fuisse numeratas, & addit suis verbis: *Maxima laude dignum est, sine dubio, hoc Institutum, sed Fratribus in itinere versantibus innumera spiritum Religiosum amittendi occasiones nascuntur.*

## §. X.

*Festum Fatuorum.*

*Ep. Odon. post notas. Petr. Bles. p. 778. V. Cang. Gloss. Kalendaræ.* Petrus Capuanus Legatus, postquam Lutetiam Parisiorum pervenisset, & Ecclesiam Cathedralem lustrasset, comperit, in ea singulis annis prima die Januarii, ludos profanos celebrari, qui Festa Fatuorum dicebantur, atque plebejos homines effusa licentia bacchari, non solum verba spurcissima effutire, sed etiam scelera audere, denique non nunquam



nunquam Ecclesiam cruentare. Doluit <sup>Sæcul. XII.</sup> vehementer Petrus intempestivum a. A.C. 1199. abusum, in die Circumcisionis Domini nostri, & tali Ecclesiæ tempore, quo omnes boni Terræ sanctæ devastationem & ruinam lugerent. Itaque mandatum edidit, Odoni Sulliacensi Episcopo Parisiensi Decano, aliisque Capituli Viris dignitate fulgentibus, inscriptum, in quo auctoritate Legati Apostolici usus, vetat, ne in posterum ad diem illum de face homines concurrere præsumant, addita in refractarios Excommunicationis pœna, jubetque Episcopum & Canonicos Capitulares Festum Circumcisionis Domini congrue & decore celebrare.

Ut huic Mandato obsequeretur, Episcopus Parisiensis literas edidit, in quibus minutatim præscribit Ritus, in Festo Circumcisionis servandos, cum Officium Divinum peragerent, & præcipit Canonicis, ut tota illa die modeste in suis stationibus consistant. Hæ literæ Episcopi anno millesimo centesimo nonagesimo octavo exeunte, vel ineunte sequente ante Pascha, datæ sunt. Aliis literis, anno millesimo centesimo nonagesimo nono datis, Odo Episcopus Canonicas distributiones destinat illis Capitularibus ceterisque Clericis, qui Officio Nocturno & Missæ in Festis

S. Ste-



Sæcul. XII.  
A. C. 1199.

S. Stephani & Circumcisionis interfuerint, ea conditione, ut Distributiones cessent, si antiquam perditorum hominum impudentiam & improbitatem dissimularent. Credibile est, illam licentiam ad tempus fuisse pressam; sed constat, non fuisse penitus abolicam, cum Fatuorum insolentiam adhucdum post annos ducentos & quadraginta toleratam legamus.

§. XI.

*Petrus Capuanus Legatus in Francia.*

*Innoc. lib. I.  
ep. 230.*

Richardus Rex Angliæ, Episcopo Lexovienfi & quodam Doctore, nomine Garnerio, Romam missis, querelas ad Innocentium Papam detulerat, contra Ducem Austriæ, quod se captivum ad Redemptionis pretium dandum compulisset, contra Regem Navarræ, quod quasdam suæ Ditionis urbes præter fas occupasset, & contra Regem Franciæ, de quo querebatur, quod sibi, in Bello sacro absenti, oppida detraxisset, & plura alia intulisset damna. Quidam scientiarum Doctor, de S. Lazaro dictus, a Rege Franciæ Romam missus, Dominum suum contra omnia, a Richardo Rege objecta, in Judicio Papæ egregie tuebatur; quia vero uterque Principum Legatus



gatus mandata necessaria ad negotium, per viam Juris perficiendum, non habebat, promisit Papa, quod rebus Italiae Siciliaeque compositis, in Franciam profecturus esset, aut saltem Legatos suos, ad litem definiendam, missurus. Ubi Petrus Capuanus, promissa Pontificis executurus, in Franciam pervenit, ad pacem inter Reges reducendam animum adjecit, effecitque, ut Colloquium indiceretur, quod in utriusque Regni limite, medio ferme mense Januario anno millesimo centesimo nonagesimo nono, in quodam loco inter oppida Andelium & Vernonem sito, habitum est. Adfuere plurimi Episcopi, Abbates, Proceres, alique viri tum Ecclesiastici tum Laici (\*). Pax tamen ad effectum perducere minime potuit; tantum Induciae ad quinquennium nudis verbis promissae, quas Papa post tres menses approbavit confirmavitque. Sed vix tribus illis mensibus servatae sunt.

Tum

(\*) Non nulli Protestantes, Summorum Pontificum famam acerbissime lacerantes, si aequitatem amarent, attendere deberent, Papam sapissime non tam Judicis officium in causis Principum Regumque occupasse, quam summos orbis Monarchas Sacrae Sedis arbitrio se ipsos sponte subjecisse.

*Hist. Eccles. Tom. XVIII.*

L I

Sæcul. XII.  
A. C. 1199.

*1. ep. 345. 346  
Rog. p. 790.  
Aquicinct.  
an. 1199.  
to. 10. Conc.  
p. 7.*

*Inn. 2. ep. 23.  
24. 25.*



Sæcul. XII.

A.C. 1199.

to. II. Conc.

p. II.

*Gest. Inn.*

n. 51.

Tum Legatus ad Ingeburgem Regi-  
nam Philippo Regi reconciliandam nul-  
lum non movit lapidem; sed cum toto  
hoc anno actum egisset, Concilium Di-  
vione in Ecclesia S. Benigni celebrari  
jussit, cui præfuit, Archiepiscopis, Lug-  
dunensi, Remensi, Vesuntino, & Vien-  
nensi, præterea Episcopis octodecim, ac  
multis Abbatibus, quos inter Clunia-  
censis & San-Dionysianus in Francia e-  
minebant, præsentibus. Hoc Conci-  
lium, cui in Festo S. Nicolai sexta die  
Decembris initium datum, septem die-  
bus continuatum est. Rex vero, cum  
non dubitaret, Legatum contra se Cen-  
suris Ecclesiasticis usurum, nuncios suos  
ad Papam appellare jussit, & Legato vi-  
sum est, ad tempus sententiam differ-  
re, non ut Appellationi morem gereret,  
sed ut mandata Pontificis in alio loco  
commodius exequeretur. Nam paucis  
post diebus, Viennæ in Delphinatu, quæ  
Provincia tunc Imperio subjecta erat,  
multis Archiepiscopis, quos inter non  
nulli de Regno Franciæ erant, convoca-  
tis, ipsis præsentibus, sententiam Inter-  
dicti Ecclesiastici in omnes ditiones Regi  
subjectas promulgavit, additis ad omnes  
Præsules mandatis; sub pœna suspen-  
sionis hanc Censuram servarent.

§. XII.



## §. XII.

Sæcul. XII.  
A.C. 1199.*Fulco Neviliacensis.*

At tertium susceptæ Legationis negotium, videlicet Belli sacri prædicationem Petrus Capuanus feliciter peregit. Quæ res etiam Innocentio Papæ ita cordi erat, ut nihil magis. Id dicitur *I. ep. 336.* Idem dicitur ex ejus Epistolis in hac causa datis, maxime autem ex illa, quam Fulconi Neviliacensi, die quinta Novembris, anno millesimo centesimo nonagesimo octavo, scripsit. Erat Fulco Parochus Neviliaci ad Matronam amnem, vico inter Lutetiam Parisiorum & La- *I. ep. 393.* gniacum posito, vir zelo magno prædicator, simplex, sed parum literatus, quem *Ville-hard.* olim ignorantia in turpem vitæ licentiam, non sine Fidelium scandalo, impulerat. Postea vero Dei Gratia conversus Parochiam suam solícite regere, verbum Dei in tota vicinia prædicare, & *avec les obser. de Ducange. Jac. Vitriac. hist. occid. c. 6. 8. Robert. Antis. p. 95.* populo rerum caducarum contemptum inspirare cœpit. Vultu & voce ad severitatem composita peccatores increpabat, in primis mulieres libidinosas, & viros usurarios; nam his vitiis illæ regiones enormem in modum sordebant. Ceterum Fulco nudam veritatem exponebat, nemini parcens; unde initio quorundam inimicitiam & contemptum in



æcul. XII. se concitavit, nec primis duobus annis  
 SA.C. 1199. magnus animarum fructus secutus.

Non ignorans, scientiam sibi deesse, Parisios pergebat, ubi scholas theologicas frequentabat, Doctores auscultabat, Textus Scripturæ ac Doctrinæ morum axiomata in suas tabellas referebat, tumque scripta & audita in usus suos adhibens, die Dominica in Ecclesia sua populo prædicabat, quæ per hebdomadam didicerat. Petrus Cantor, quem sæpe docentem audiebat, boni Sacerdotis fervorem admiratus, quadam die eum ad dicendum ex Cathedra Parisiis in Ecclesia S. Severini, ipso & multis Theologiæ Studiosis præsentibus, permovit. Ille adspirante Divina Gratia tam apte ad persuadendum peroravit, ut ejus Magister ceterique auditores faterentur, S. Spiritum ex ore hujus Sacerdotis loqui. Exinde Doctores, eorumque Discipuli mutuo se se invitabant ad audiendos Fulconis sermones, etiam humilis esset & inculta oratio. Nempe sermones virorum doctorum illa ætate divisionibus & subdivisionibus, locis communibus, allegoriis, & allusionibus ad verba S. Scripturæ scatebant, re ipsa vero pauca ad persuadendum idonea argumenta & nulla ferme vis ad movendos audientium animos inerant. Qui cupit, hujus rei veritatem in sermoni-



monibus Petri Cellensis, Petri Blesensis, & Stephani Tornacensis, inspiciat.

Sæcul. XII.  
A C. 1199.

Quadam die, cum Fulco Parisiis in foro de campellis seu in publica porticu, ad ingentem Clericorum populique frequentiam vehementissime dixisset, multi, corde contriti, ad ejus pedes se se prostraverunt, virgas vel lora manibus tenentes, nudis pedibus, interula tecti, peccata sua publice confitentes, seque ejus regimini penitus committentes. Fulco, gratias Deo agens, pœnitentes amplectebatur, & congrua singulis suggerebat consilia, usurariis, raptoribus suadebat, ablata & aliena, ut possent, restituerent. Vulgati corporis feminae, abscissis sibi capillis, infame commercium reliquerunt, & ipse non nullas honestis viris in matrimonium dedit. Aliæ perpetuam continentiam elegerunt, in quarum gratiam, ut Abbatia S. Antonii fundaretur, a viris beneficis obtinuit. Tandem Fulconis ea fuit auctoritas, ut juvenes studiosi, ipsique Doctores eum concionantem audituri confluerent, jam vice versa tabellas manibus tenerent, ut notatu digna scriberent, iisque ipsi cum ad populum dicerent, uterentur. Sed Fulconis doctrina in aliorum ore non ejusdem efficaciam esse videbatur. Ipse Doctores hortabatur; Doctrinam suam oratione brevi,

Otto a  
S. Bl. a. c. 47.



Sæcul. XII.  
A.C. 1199.

utili & eleganti proponerent, persuasitque compluribus multa subtilia & quaestiones superfluas omittere. Quin aliqui ejus Disciplinæ se submiserunt & ad prædicandum verbum Dei operam junxerunt, quos inter Petrus Cantor, Petrus Rossiacensis, Abbas Monasterii vulgo *Perseigne* Ordinis Cisterciensis, Eustachius Abbas Monasterii *de Flai* seu S. Germeri, Albericus Laudunensis Archidiaconus Parisiensis, postea Archiepiscopus Remensis, & quidam alii recensentur.

Fulco in tota Francia, in Flandria, in Burgundia, & in magna Germaniæ parte, prædicavit, ab Episcopis invitatus, & ubique tanquam missus de cælo Angelus exceptus. Donum etiam miraculorum a Deo accepit, omnisque generis languentes sola manuum impositione & formato signo Crucis sanavit. Sed non omnes sine discrimine ægrotos, quicumque offerebantur, incolumitati reddebat; aliquibus gratiam sanitatis in corpore simpliciter denegans dicebat, ægritudinem ad eorum salutem animæ expedire, & aliis, necdum eos pro peccatis suis satisfecisse. Quadam die muti ad eum adducuntur, quorum ora manu aperuit, inspiravit, & loqui iussit, tum obedire cunctantibus alapas, tanquam pertinaces, ad loquendum

Otto a  
S. Blas. c. 4.

com-



compulsurus, impegit. Illi protinus di-  
 fertis verbis Deo & Fulconi gratias di-  
 cunt. Alia die cum viri Nobiles juve-  
 nem, propinquum suum, omnibus pæne  
 membris captum, in ejus conspectum  
 deduxissent, Fulco primum eis vestium  
 pretiosarum luxum exprobravit. Tum  
 juveni, equo imposito, præcipit, ut de-  
 scendat, quo non obediente, quia peni-  
 tus impotens erat, idem secundo in no-  
 mine Jesu Christi imperat, & ægroto  
 necdum quod jubebatur faciente, ipse  
 sonipedem (equitabat enim) levatum  
 tenens baculum quasi percussurus, im-  
 pellit in juvenem, qui pavidus ex equo  
 in humum effunditur. Tum lapsum  
 Fulco jam sospitem & valentem erigit,  
 jubetque, se ipsum præ lætitia non ca-  
 pientem, in experimentum recuperatæ  
 sanitatis latissimum campum præcipiti  
 cursu emetiri. Ceterum optimus Sa-  
 cerdos nihil in alimentis vel vitæ ratio-  
 ne ab aliorum hominum more abhor-  
 rens habebat, equo iter faciebat, &  
 quod apponebatur, manducabat.

Quadam die Richardum Regem An-  
 gliæ affatus Fulco, *Dei omnipotentis no-  
 mine, inquit, tibi denuncio: tres pess-  
 mas, quæ tibi sunt, filias nuptui trade,  
 ne gravius malum tibi obtingat. Re-  
 spondit Rex: Mentiris Hypocrita! non  
 habeo filiam. Cui Fulco: imo tres ba-*



Sæcul. XII. *bes filias, superbiam, avaritiam, & im-*  
A.C.1199. *pudicitiam.* Tum Rex conversus ad  
 amicorum proximos, *faciam igitur, quod*  
*vis,* ait, *superbiam meam Templariis,*  
*Avaritiam Monachis Cisterciensibus, &*  
*impudicitiam Prælati Ecclesiæ collo-*

*Rigord.p.39* Fulco prædicandi officium anno mille-  
 simo centesimo nonagesimo quinto in se  
 susceperat, quare, cum fama virum ce-  
 leberrimum effecisset, Petrus Capuanus  
 ejus opera ad prædicandum Bellum sa-  
 crum opportune usus est, & conjicere  
 licet, hoc Cardinale eum commendante  
 Innocentium Papam literas, quas memi-  
 nimus, ad Fulconem dedisse. In iis  
*1.ep.398.* hortatur Papa; ut dotes a Deo acce-  
 ptas ad instruendum populum Fidelem  
 impendat. Potestatem etiam facit,  
 qua, accedente Legati consilio, quos-  
 dam ex monachis Nigris, ex monachis  
 Albis, & Canonicis Regularibus magis  
 idoneos, sibi in prædicatione socios de-  
 ligeret. Illa tempestate Cluniacenses,  
 Monachi Nigri, & Cistercienses Mona-  
 chi Albi dicebantur.

## §. XIII.

*Expediitio sacra Francorum.*

Tandem Fulco accepto pie militan-  
 tium Insigni, Fideles ad profectio-  
 nem sacram magno successu suis sermo-  
 nibus excitavit. Nam ubi vulgatum  
 est,



est, ipsum Fulconem, Cruce signatum, Sæcul. XII.  
 Ducem propinquæ Expeditionis futu- A.C. 1199.  
 rum, populi turmatim confluere, &  
 Crucem de ejus manu expetere. Ma-  
 ximam eleemosynarum & auri vim cu-  
 mulavit, unde sumtus in profectio-  
 nem suppetent. Quantumvis vero ejus *Alber. an.*  
 intentio fuerit pura, non nihil tamen *1199.*  
 de ejus fama detractum, ejusque aucto-  
 ritas haud parum imminuta.

Principum præcipui, qui Fulconis  
 prædicatione moti ad iter in Palæstinam  
 se accinxerunt, fuerunt Theobaldus V.  
 Comes Campaniæ, annos natus viginti  
 duos, & Ludovicus Comes Blesensis, an-  
 num vitæ agens vigesimum septimum.  
 Hi Sobrini erant Regis Franciæ, Regis *Ville Hard.*  
 Angliæ vero nepotes, atque consilium *n. 2. & les*  
 Hierosolymam proficiscendi & societa- *observ. de du*  
 tem itineris promiserant in Ludis Eque- *Cange.*  
 stribus, initio Adventus anno millesimo  
 centesimo nonagesimo nono in Campa-  
 nia celebratis. Sicque ex illis spectacu-  
 lis, per Constitutiones Canonicas tam  
 districte & diserte vetitis, non nunquam  
 utile aliquid oriebatur. Cum iis præ-  
 terea Crucigerorum votum ediderunt  
 Simon Montfortius exinde bello contra  
 Albigenes nato clarissimus, Renaldus *de Monte \* Miraculi,*  
 Godefridus *de \* Montmi-*  
*Villa-barduina* in Campania castrorum *rail.*  
 Præfectus, qui lingua Gallica, illo ævo  
 L I 5 vulgari,



Sæcul. XII. A.C. 1199. vulgari, Historiam hujus sacrae Expeditionis literis mandavit, & plures alii Episcopi quoque duo Garnerius Trecentis & Nevelonius Sueffionensis sacrae Militiæ nomen dederunt.

*Sup. Lib.*  
*LXXIV.*  
*§. 61.*

*1. sp. 437.*

*ep. 438.*

Inter hæc Innocentius Papa, ut rem Christianam in Oriente curaret, ad Regem Hierosolymæ & Imperatorem Constantinopolitanum literas dedit. Titulum Regis Hierosolymæ tunc gerebat Aimericus Lusignanus, Rex Cypri, quem Latini, cum eum ad vacillans hoc Regnum sustinendum maxime idoneum crederent, elegerant, nam præterea Isabellam Amalrici Regis filiam uxorem habebat. Papa igitur missis ad Aimericum Regem & Reginam ejus Conjugem Epistolis tutelam suam, quam petierant, promisit, Regem præcipue hortatus, ut virtutes, quæ Regiam Dignitatem ornant, amaret; iterumque affirmabat se nulli labori aut industriæ parcere, qua ei auxilia ex Europa transmitteret. Hæ duæ Epistolæ mense Decembri anno millesimo centesimo nonagesimo octavo datæ. Simul Papa Comiti Tripolitano scripsit; ipse Regnum Cypri custodiret, quo tempore Rex Aimericus, bellum in Palæstina gerens, absset. Nemo enim ignorabat, Imperatorem Constantinopolitanum occasionem captare, jus suum in hanc Insulam sibi vindic-



vindicandi. Scripsit etiam Papa literas ad Principem Antiochenum, ad Magistros Templi & Hospitii Hierosolymitani, Aimerico Regi faventes, & quia complures Latini, Terræ sanctæ incolæ, abibant, prætextu implendi edita vota, quibus se ad alia loca sacra visenda obstrinxissent, his licentiam ibi manendi dispensavit, ne Palæstinam suo auxilio destituerent; quin etiam pecunias, quas itineri impensuri fuissent, in stipendia militum, & reparandas munimentorum ruinas conferrent.

Sæcul. XII.  
A.C. 1199.

§. XIV.

*Epistolæ Papæ ad Imperatorem & Patriarcham Constantinopolim datæ.*

Alexius Angelus Imperator, comperta Innocentii Papæ III. electione, missis cum pretiosis muneribus Legatis, rogavit, ut invicem ipsum Legatione honoraret. Misit Papa Albertum Subdiaconum & Albertinum sibi a secretis Notarium cum Epistola, cujus summa hæc erat: *Boni consule, cum tibi sincere aperio, quantum ego obstupescam, & quantum sit populorum Christianorum murmurantium strepitus, quod hucusque haud sane ut debebas ad liberandam de jugo Infidelium Terram sanctam auxilia contuleris,*

*Gest. Innoc. n. 60.*

*1. ep. 353.*



Sæcul. XII.  
A.C. 1199.

*levis, quamvis nemo te magis commode potuisset, cum nullus Principum te magis propinquus hostibus regnet, & tuis opibus ac potentia Crucis Domini inimicos longe superes. Sed aliud præterea est, de quo Christiani conqueruntur, non contra te modo sed etiam contra Ecclesiam Romanam, quæ erratum dissimulare videtur; illud videlicet, quod Graeci, licet Ecclesia una sit, ab Unitate sacrae Sedis discedentes, aliam sibi Ecclesiam finxerint (\*). Itaque hortatur Pa-*

(\*) Dieser Satz, den hier Pabst Innocentius wider die leichtfertigen Griechen anziehet, ist gründlich und unwiderleglich. Denn wo die Gemeinschaft und Einigkeit nicht ist, da kann die wahre Kirche Christi unmöglich seyn. Darum ist der Gedanken einiger Protestanten, als Mosheims und Bindheims, Mitleidens würdig, wenn sie ein allgemeines Recht der Protestanten schreiben wollen; da doch in den protestantischen Kirchen, als bey den Reformirten, bey den Lutheranern in Deutschland, bey den Holländern, bey den Schweizern, bey den Russen (denn die deutschen protestantischen Fürsten glauben es sey keine Sünde, sich zu der moscowitischen Religion endlich zu bekennen) nichts allgemeines gefunden wird; als etwan die heilige Schrift, welche eine jede aus obbemeldten Kirchen in einem andern und willkürlichen Verstande ausleget, und keine aus allen verbunden ist, die Meynung einer andern anzunehmen.



pa, ut Christianis in terra sancta periclitantibus succurrat, & Græcos ad unitatem & concordiam Ecclesiasticam reducere conetur. *Secus vero, subjungit, quamvis non sine maximo animi dolore durius quidquam de te decerneremus, nihil tamen, ne quod officii nostri ratio postulat faciamus, avocare nos poterit.*

In alia Epistola, de eadem causa ad Patriarcham Constantinopolitanum data, Innocentius unitatem Ecclesiæ & S. Petri Primatum acriter defendit.

*1. ep. 354.*

Alexius Imperator, Epistola mense Februario Indictione secunda, nempe anno millesimo centesimo nonagesimo nono, ad Papam data, respondens, profitetur, haud modice se moveri exprobratione, quod pauca hucusque ad vindicandam Terram sanctam contulisset.

*ap. Innoc.*

*2. ep. 210.*

Verum dicit, tantæ felicitatis tempus necdum advenisse, timereque se, ne obluetur voluntati Numinis, peccatis Christianorum adhuc irascentis. *Major est, ait, nostrorum animorum Divisio, quam ut unum omnes velimus, & interim nullus belli successus sperandus.*

*Non ignoras, Fridericum Regem Germaniæ ditionibus meis vastitatem intulisse, postquam tam solemniter jurasset, innoxium fore militis transitum.*

*Quo pacto auxiliari gentibus potuissem, mihi tam infensis? me igitur dimisso, illos*

los



Sæcul. XII. *los increpa, qui simulantes se pro Christo laborare, contra Dei voluntatem agunt.* De reconciliatione Ecclesiarum dicit Imperator; facillimum fore negotium, nisi animorum discordia obstaret, & si Prælati prudentiam carnis abjicerent. Ut vero res tanta perfici possit, hortatur Pontificem, ad convocandum Concilium, cui Ecclesiam Græcam certo interfuturam promittit.

*Catalog. jus. Græc. R. p. 303. Sup. n. 24.*

*ap. Innoc. 2. ep. 208.*

*Res Ecclesiæ Græcæ.*

In Cathedra Patriarchali Constantinopolitana tunc sedebat Joannes Camaterus, antea ejusdem Ecclesiæ Diaconus & Chartularius, qui anno superiore millesimo centesimo nonagesimo octavo Georgio Xiphilino successerat, postquam Sedes, ob absentiam Imperatoris Alexii, duobus mensibus vacasset. Hic Patriarcha, ad Epistolam Innocentii Papæ respondens, in exordio zelum ejus laudat, quo concordiam Ecclesiarum revehi exoptat. Tum speciem dubitantis præbens, quæ Romanis objicienda habebat, humanissime exponit, & quærit, qua ratione Ecclesia Romana universalis esse possit, cum dentur aliæ particulares? & quomodo Mater omnium Ecclesiarum dicatur, cum omnes ceteræ ab Ecclesia Hierosolymitana originem ducant? Ad illud vero, quod Papa Græcorum culpæ adscriberet, divisam fuisse Ecclesiam, affirmat Patriarcha, Græcos dicentes,  
S. Spi-



S. Spiritum a Patre procedere, verbis Sæcul. XII.  
 Jesu Christi, Symbolo Niceno, & alio- A. C. 1199.  
 rum Conciliorum, quæ Pontifices Ro-  
 mani recipiunt, inhærerere. Ita tacite  
 Latinos accusat, quod Schismatis aucto-  
 res essent.

Respondit Papa, data proluxa Epistola, <sup>2. ep. 209.</sup>  
 duodecima Novembris anno millesimo <sup>& Gest. Inn.</sup>  
 centesimo nonagesimo nono, in qua pri- <sup>u. 61.</sup>  
 mum fuse probat Primatum sacræ Se-  
 dis auctoritate Dei ipsius institutum, &  
 oblata occasione dicit, quod solus S. Pe-  
 trus non solum omnia, sed etiam o-  
 mnium hominum peccata remittere  
 possit.

Videlicet, ut istud in meliore sensu  
 accipiamus, quod solus Jurisdictione in  
 totam Ecclesiam præditus sit. Solvens  
 deinde quæstiones a Patriarcha motas,  
 dicit, Ecclesiam appellari universalem  
 duplici modo; primo, quod ex omnibus  
 Ecclesiis constituatur, atque in hoc sen-  
 su in Græcia Catholicam nominari. *In*  
*isto itaque sensu, ait, Ecclesia Romana*  
*non est universalis, sed Ecclesie univer-*  
*salis pars existit; at in eo est univer-*  
*salis, quod omnes Ecclesias sibi subditas*  
*babeat.* Ad illud, quod Patriarcha Con-  
 stantinopolitanus dicebat, Hierosoly-  
 mam esse Matrem omnium Ecclesiarum,  
 respondet Papa iterum adhibens dupli-  
 cem distinctionem, & *Hierosolyma, in-*  
 quit,



Sæcul. XII. quit, *Mater est, si temporis, Roma autem,*  
 A.C. 1199. *si Dignitatis ratio consideretur, sicut*

*S. Petrus Primatum obtinuit potius quam*  
*S. Andreas, qui prior quam Petrus Je-*  
*sus Christum secutus fuerat. Hieroso-*  
*lyma Mater est Fidei, sed Roma Mater*  
*est Fidelium; sicut Ecclesia Mater est*  
*Fidelium universalis, quamvis etiam Sy-*  
*nagoga Ecclesiæ Mater dicatur, quia eam*  
*tempore præcessit, & ex ea Ecclesia*  
*nata est. Præterea dicit Papa, animo*  
*se constituiffe, Concilium Generale*  
*convocare, ad quod Patriarcham invi-*  
*tat, vultque, ut quod Imperator promi-*  
*fit, vel ipse Patriarcha vel ipsius nomi-*  
*ne præcipui aliquot Græcæ Ecclesiæ Præ-*  
*sules veniant. Si detrectarent, fore, ut*  
*ad Censuras Ecclesiasticas contra Impe-*  
*ratores, contra ipsum & Ecclesiam Græ-*  
*cam adhibendas compelleretur. Simul*  
 2. ep. 211.  
 Gest. n. 60. *etiam Papa in Responsoriis ad Alexium*  
*Imperatorem refutabat causam, quam*  
*obtendebat, ne Christianis in Terra san-*  
*cta opitularetur, dicens, necdum adve-*  
*nisse statutum a cælo tempus, quasive-*  
*ro ei arcana Dei consilia fuissent reve-*  
*lata. De Concilio idem perscribebat*  
*addita illa, quam in Epistola ad Patriar-*  
*cham adjecerat, comminatione.*

Imperatorem & Patriarcham, acce-  
 ptis his Epistolis, cum per Interpretes,  
 quid continerent, intellexissent, poeni-  
 ten-



Sæcul. XII.  
A.C. 1199.

tentia subiit eorum, quæ scripserant, & Imperatorem quidem, quod promississet, Græcos ad Concilium, a Papa convocandum, mittere, eosque deinde ad Concilii Decreta servanda compellere, Patriarcham vero, quod de obedientia a se Romano Pontifici debita convictum se sentiret.

Postquam diu deliberatum, scripsit Papæ Imperator, quod si Concilium in Græcia celebrari juberet, ubi quatuor prima Concilia fuissent congregata, Ecclesiam Græcam Legatos eo esse missuram. Tum ad altiora deflectens in illa Epistola probare conatur, Imperium esse supra sacerdotium. Quibus Papa contraria argumenta opposuit in hunc ferme modum:

Affers nobis S. Petri auctoritatem *Gest. n. 63.*  
dicentis: *Subjecti igitur estote omni creaturæ propter Deum, & reliqua. Unde inferre vis, Imperium tam Dignitate quam Potestate supra sacerdotium esse. Ex his verbis: subjecti estote, inferre, sacerdotium esse inferioris ordinis, & ex illis: Regi tanquam præcellenti; Imperium esse eminentioris potestatis. Porro ex illis verbis: Ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, inferre, Imperatori Jurisdictionem, quin & potestatem gladii in Sacerdotes æque ac in Laicos esse. Verum enimvero, si perso-*  
*Hist. Eccles. Tom. XVIII. M m nam*

*1. Pet. 2. 13.*



Sæcul. XII. *nam loquentem, illos, quibus loquitur, &*  
 A.C. 1199. *vim verborum recte pensasses, ea haud*  
 De Majorita. *sane ita explicasses. Apostolus scribe-*  
 re & Obe- *bat hominibus sibi subjectis, atque eos ad*  
 dientia. *humilitatis virtutem excitabat. Si enim sacerdotium omni Creaturæ subji-*  
*cere voluit, sequitur, mancipiis vilissi-*  
*mis competere sacerdotibus imperare.*  
*Quod spectat ad sensum illorum verbo-*  
*rum: Regi tanquam præcellenti, non*  
*denegamus Imperatori supremam potestatem,*  
*quoad temporalia, sed tantum in eos,*  
*qui res temporales ab eo accipiunt. Por-*  
*ro Pontifex suprema potestate gaudet in*  
*spiritualibus, quæ tantum temporalibus,*  
*quantum anima corpore, præstant. Quod*  
*sequitur: ad vindictam malefactorum &c.*  
*id non ita accipiendum est, quod Rex pot-*  
*estatem gladii in omnes malos acceperit,*  
*sed solum in eos qui gladio abuten-*  
*tes ejus Jurisdictioni subjiciuntur, se-*  
 Matt. 26. 52. *cundum verba Servatoris: Omnes, qui*  
*acceperint gladium, gladio peribunt. Ne-*  
*mo enim alterius servum judicet.*

Pontifex illa deinde adducit, quæ ad  
 Jere. I. 10. *Jeremiam diriguntur: Constitui te bo-*  
*die super Gentes & Regna, ut evellas &*  
*destruas, ædifices & plantes. Eaque*  
*tanquam Sacerdoti dicta esse putat,*  
*quamvis ex iis, quæ in sermone sequun-*  
*tur, pateat, de nulla re alia quam de*  
*Missione prophetica agi. Tum Papa in*  
 illa



illa Epistola sic prosequitur: *Illud quo- Sæcul. XII.  
que te scire oportebat, Deum in cælo A. C. 1199.  
creasse duo magna Luminaria, ut unum Gen. I. 16.  
præsit diei & alterum nocti. Nempe  
Deus posuit in Ecclesia duas magnas Di-  
gnitates Sacerdotalem & Regiam; qua-  
rum una præst rebus spiritualibus, alte-  
ra corporeis, unde inter ambas tanta est,  
quanta inter solem & lunam differentia.  
Si ad hæc animum advertisses, neutiquam  
æquo animo ferres, Patriarcham Con-  
stantinopolitanum ad lævam prope sca-  
bellum pedum tuorum assidere, cum a-  
lii Reges Episcopis assurgant, eosque in  
sedibus apud se acquiescere jubeant. Ex C. solita. 6.  
hac Epistola celebratissima illa Decreta- Extra de  
lis excerpta est, quæ de Potestate Sa- Major. &c.  
cerdotii supra Imperium argumenta  
continere creditur; sed Lector genui-  
num Scripturarum sensum edoctus ju-  
dicet, an, vel quanta vis, hisce argu-  
mentis insit, præsertim Allegoriæ de  
duobus luminaribus, quæ eodem jure  
quo profertur rejici potest. Nam vera  
Ecclesiæ potestas multum solidioribus  
fundamentis, quam hujusmodi allusio-  
nibus, nixa est.*

Bulgaros, per annos ferme centum  
Græcis subjectos, ab Imperatore Isaacio  
Angelo deficientes, ejus frater Alexius  
Angelus armis compescere non value- Nicet.  
rat. Illa tempestate in Bulgaria rerum Isaac. III.  
potie. n. 3. 8.



Sæcul. XII. potiebatur Joannes seu Joannicius, qui  
 A. C. 1199. a suis Imperator dicebatur, titulis & fa-  
Alex. II. n. 3. Cang. famil. p. 318. stu Græcorum, quorum mores hi Bar-  
bari studiose imitabantur. Ut ergo no-  
 vum Imperium firmaret, coronam a  
 Romano Pontifice accipere, populum-  
 que suum eo modo, quo Græci, diu a  
 Latinis divisum, Ecclesiæ Romanæ uni-  
 tati reddere cupiebat. Quod ubi ad  
 Innocentii Papæ aures pervenit, misit  
 ad eum Dominicum Archipresbyterum  
 Brundusinum, Græcæ linguæ gnarum,  
 & deferentem literas, in quibus Papa,  
 postquam ei successum armorum & la-  
 lutarem in Ecclesiam Romanam devo-  
 tionem gratulatus est, rogat, ut istud ne-  
 gotium cum Dominico pertractet, pro-  
 mittitque se Legatos, viros ampliore  
 Dignitate eximios, in Bulgariam dire-  
 cturum esse. Quod demum post annos  
 tres executus est.

## §. XV.

*Concilium in Dalmatia.*

Zupanus Magnus Servia, missis ad In-  
 nocentium Papam Nunciis, Lega-  
 tum ad se dirigi petierat, qui Regionem  
 suam ad præstandam Ecclesiæ Romanæ  
 obedientiam institueret, sibi que coro-  
 nam Regiam conferret. Zupani Digni-  
 tas apud hos populos Regiæ proxima  
 erat.

*Gest. Inn.*  
 n. 79.



erat. Statuerat Papa Joannem Episcopum Albanensem illuc mittere; sed a proposito dimotus est, haud ignarus, quam acerbe, si faceret, Regem Hungariae offensurus esset.

Sæcul. XII.  
A.C. 1199.  
Cang. famil.  
p. 287.  
Cang. Glos. 2

Exinde Rex Hungariae, Stephano armis superato, eique Vulcano, fratre suo, subrogato, per Nuncios suos Papae referri iussit, cupere se Serviam Ecclesiae Romanae Communioni subicere, sibi que probari consilium, quod Vulco seu Vulcanus coronam Regiam a Papa acciperet. Vulcanus quoque missis Romam nunciis vehemens reconciliationis desiderium professus est, duosque viros Religiosos, Joannem & Simonem, cum potestate Legatorum ad eum missos, honorifice excepit. Hi Concilium ibi celebrarunt, & Praesidentes promulgarunt duodecim Canones, qui ad reprimendos abusus & mores Ecclesiae Romanae in Dalmatia stabiliendos tendunt. Simonia proscribitur. Presbyterorum matrimonia tanquam adulteria damnantur. Diaconus ordinatus ante annum elapsum sacerdotio non initietur. Nullus Presbyter ordinetur antequam ad annum vitae trigesimum pervenerit. Laici Clericos non judicent, nec eos probationi aquae vel ferri candentis subicere audeant. Clerici barbam sibi radant, & tonsurati incedant. In quarto gradu

ap. Inn. 2.  
epist. 178.  
to. II. Conc.  
p. 7.  
c. 1. 2.  
c. 12.  
c. 5.  
c. 7.  
c. 6.  
c. 9.





Sæcul. XII. sanguine sibi propinqui matrimonio non  
 A.C. 1199. jungantur. Latini ritus Christianos, ut  
 mancipia domi habere, Græcis non liceat.

*Alex. ep. 4.  
 Sup. Lib.  
 LXI. §. 8.*

His Constitutionibus post Legatos subscripserunt Joannes Archiepiscopus Diocleensis & Antibarensis. Nam duas hæc Ecclesias Alexander II. Papa anno millesimo sexagesimo tertio conjunxerat. Tum subscriptio Episcoporum sex, Suffraganeorum ipsius, sequitur. Canones ad Papam missi sunt cum Epistolis tribus. Una est Vulconis, qui se Regem Dalmatiæ dicit, indicatque Pontifici, quamdam Hæresim in provincia, Regi Hungariæ subdita, nempe Bosnia, pullulare, eo majore periculo, inquit, quod ipsum Bannum, nomine Culinum, cum sua uxore, & sorore Miroslavi, Chelmicæ Zopani, vidua, venenum infecerit, jamque plus quam decem Christianorum millia seduxerit. Post alia in hac Epistola dicit: Hanc veræ Religionis pestem impatientissime ferens Rex Hungariæ eos ad iter Romam suscipiendum compulit, ut examen sacræ Sedis subirent. Sed illi redierunt cum literis commentitiis, dicentes se licentiam a te accepisse, qua secundum constitutiones suas viverent. Itaque rogamus te, Sancte Pater, mone Regem Hun-

*ap. Innoc. 2.  
 ep. 176.*

*Cang. famil.  
 p. 286.*

*ep. 177.*

Regi Hungariæ subdita, nempe Bosnia, pullulare, eo majore periculo, inquit, quod ipsum Bannum, nomine Culinum, cum sua uxore, & sorore Miroslavi, Chelmicæ Zopani, vidua, venenum infecerit, jamque plus quam decem Christianorum millia seduxerit. Post alia in hac Epistola dicit: Hanc veræ Religionis pestem impatientissime ferens Rex Hungariæ eos ad iter Romam suscipiendum compulit, ut examen sacræ Sedis subirent. Sed illi redierunt cum literis commentitiis, dicentes se licentiam a te accepisse, qua secundum constitutiones suas viverent. Itaque rogamus te, Sancte Pater, mone Regem Hun-



*Hungariæ ; perditum hominum genus  
e Regno suo ejiciendum esse.*

Sæcul. XII.  
A.C. 1199.

In altera Epistola scripta a Stephano, Vulconis fratre, & magno Serviaep. 178.  
Zupano, nihil præter communis obsequii & humanitatis verba legitur. Epistolam tertiam scripsit Joannes Archiepiscopus Antibarensis, qui gratias agit Pontifici, pro Pallio ab eo accepto, atque se tempus in omne sacræ Sedi subditum & fidelem amicum futurum profitetur.

Ceterum, quod Papa de errore Culinum, Bosnia Banni, monebatur, verissimum erat. Postea enim comperit, quod Culinus multos Patarinos, ab Archiepiscopo Spalatrino e Diocesi sua pulsos, recepisset, & pertinaciter tueretur, quos solos Christianorum nomine dignos diceret. Quare Papa, literis anno sequente ad Emericum Regem Hungariæ datis, præcepit; Culinum ad expellendos ex provincia hosce Hæreticos, eorum bonis arario publico adscriptis, compelleret, aut jussa facere detrectantem cum tota Secta e Regno Hungariæ ejiceret. Hæc Epistola undecima die Octobris anno millesimo ducentesimo data.

Innoc. III.  
epist. 2. ap.  
Rainald. an.  
1200. n. 46.



Sæcul. XII.  
A.C. 1199.

§. XVI.

*Litteræ Archiepiscopo Eboracensi  
faventes.*

Rog. p. 766.  
Sup. Lib.  
LXXIII.  
§. 53.

Anno millesimo centesimo nonagesimo sexto Cœlestinus III. Papa sententiam suspensionis, ob contumaciam anno superiore contra Godefridum Archiepiscopum Eboracensem pronunciatam, abstulit. Nam Præsul ille Romam venerat, & quamvis primo Papam offensum habuisset, & difficilem, postquam tamen Romæ diu hæsisset, & eum & ipsius adversarios Papa in conspectum admisit. Archiepiscopus constanter affirmavit, omnia, quæ sibi objiciebantur, falsa esse; nec ejus Adversarii onus illa probandi in se suscipere ausi sunt. Itaque Pontifex Godefridum ad Ecclesiam suam remittit, munere Archiepiscopali functurum, jubetque Eboracensis provinciæ Clericos ei obedire, postquam accusationis capita plene diluisset. At Richardus Rex, qui bona temporalia Archiepiscopatus occupaverat, hac absolute irritatus, Archiepiscopi mandatarios prohibuit, Ecclesiæ ejus administrationem capessere, quin etiam Cathedralis Ecclesiæ Præbendas, ceteraque Beneficia vacantia, aliis, ut ipsi visum est, contulit. Ita Archiepiscopus  
Roma



Roma reversus, Ditiones Richardi Re-<sup>Sæcul. XII.</sup>  
gis, quem nec placare potuit, nec ad <sup>A.C. 1199.</sup>  
possessionem vel Juris spiritualis vel tem-  
poralis in Archiepiscopatu suo perveni-  
re, attingere non est ausus, & ali-  
quamdiu in Francia versatus, Romam  
rediit.

Postquam Innocentius III. S. Petri <sup>Rog. an.</sup>  
Cathedram conscendit, Godefridus Ar- <sup>1198. p. 785.</sup>  
chiepiscopus primo Pontificatus ejus  
anno ab ipso literas impetravit, in quibus  
Regem Richardum, Godefridi fratrem  
hortatur; eum in gratiam reciperet, at-  
que ad Ecclesiam suam redire permit-  
teret. Addens, nisi acquiesceret, fore  
ut ad Censuras Ecclesiasticas contra Re-  
gem & Ditiones ejus adhibendas com-  
pelleretur. Rex Philippo Episcopo Du-  
nelmensi, aliisque Episcopis quatuor,  
ad Archiepiscopum missis, suo nomi-  
ne rogari eum jussit, ut Acta, quibus  
varia Bona ad Archiepiscopalem Eccle-  
siam pertinentia aliis donasset, rata ha-  
beret, eique sancte promitti, hac condi-  
tione totum Archiepiscopatum esse re-  
cuperaturum. Respondit Archiepisco-  
pus: *Collegæ & Fratres mei estis, se-  
quar, quod suggeritis consilium, si scripto  
mibi promittitis, vos consensum Papæ  
esse impetraturos.* Noluerunt Episcopi  
hac in re vades se dare, & ad Regem  
reversi detulerunt responsum Archiepi-  
scopi,

M m 5

scopi,



Sæcul. XII. scopi, quo Romam iterum proficiscen-  
 A.C. 1199. te, Rex nuncios misit, contra eum in  
 Curia Romana acturos. Tunc Papa,  
 2. ep. 57. data humanissima Epistola, Regem Ri-  
 chardum per Reverentiam sacræ Sedis,  
 & propriam ipsius gloriam obtestatur,  
 ut placari se sineret, Archiepiscopum E-  
 boracensem, fratrem suum, in gratiam  
 secum redire, ac jurgia litesque, quæ  
 intercessissent, ex consilio & arbitrio  
 Archiepiscopi Rotomagensis atque Ab-  
 batis Perfigniacensis, componi pateret-  
 tur. Addit, se Cardinali Petro Capua-  
 no Legato suo in mandatis dedisse, ut  
 apud Regem Archiepiscopo reditus re-  
 stitui peteret. Hæc Epistola vigesima  
 octava Aprilis anno millesimo centesimo  
 nonagesimo nono data. In alia Episto-  
 la adjecit Papa, se Cardinali præcepis-  
 se, si refractarios haberet, primo pro-  
 vinciam Eboracensem, & post aliquod  
 temporis spatium totam Angliam Inter-  
 dicto constringeret. Tandem jussit  
 Cardinalem, eos, qui Beneficia Ecclesiæ  
 Eboracensis, ex quo suspensus fuisset  
 Archiepiscopus, accepissent, ad ea ab-  
 dicanda compellere, nec ullam ratio-  
 nem excusationis frivolaæ habere, quod  
 ea de manu Regis obtinuissent.

ep. 59.

ep. 60.



## §. XVII.

Sæcul. XII.

A.C. 1199.

*Richardi obitus. Joannes Rex  
Angliæ.*

Dum vero literæ illæ Romæ expediuntur, Angliæ Rex Richardus fatis *Rog. p. 790.* fungitur. Cum Vicecomes Lemovicensis in quodam Ditionis suæ fundo thesaurum invenisset, magnam auri partem Richardo, Regi suo, miserat, qui ea non contentus, nam totum sibi deberi affirmabat, eum in castro Calacensi\*, \*Chatelus. quo se se receperat, obsedit. Cum obsequitatur, exploraturus, qua potissimum parte miles irrupere posset, sagitta in brachio percussus, ac deinde male curato vulnere, die Martis ante Dominicam Palmarum, sexta Aprilis anno millesimo centesimo nonagesimo nono occumbit. Animi magnitudine & Rege & Christiano digna ignovit illi, qui se occiderat, visceraque sua in oppido *Cbarroux*, cor Rotomagi, & corpus ad Fontem Ebraldi sub pedibus Regis patris sui condi jussit, annos natus quadraginta duos, postquam annos decem Anglis & Normannis imperasset. Quia improlis decebat, frater ejus Joannes, Comes Moritonii, successit in Regno. Is Rotomagi gladium & coronam Ducum Normanniæ de manibus Gualterii Archiepiscopi



Sæcul. XII.  
A.C. 1199.

scopi in Dominica in Albis, die vigesima quinta Aprilis, accepit. Tum, Fretotrajecto, Rex Angliæ, Westmonasterii ab Huberto Archiepiscopo Cantuariensi, duobus Archiepiscopis & Episcopis quatuordecim præsentibus, in Festo Ascensionis die vigesima septima Maji solemniter ungitur & coronatur.

Eadem qua inauguratus est die Joannes Hubertum Archiepiscopum, Cancellarii munus deinceps obire jussit; cumque Præful ideo lætitiâ profiteretur, jactaretque, se Regis fiducia dignum visum fuisse, quidam vir Nobilis, nomine Hugo Bardolus, patere, inquit, Domine, ut tibi, quod sentio, aperiam. Si, quanta sit dignitas & potestas tua Ecclesiastica, perpenderes, nolles profecto hujusmodi servitutis jugo te ipsum induere. Vidimus olim Cancellarium ad Archiepiscopale fastigium ascendere, sed inauditum nobis est, Archiepiscopum aliquando Cancellarii Officium suscepisse. Laicorum nempe ruditas causa erat, quod non nisi Clerici magnorum Principum Epistolis præfici potuerint, quibus deinde laboris & industriæ præmium sæpe collatus Episcopatus erat. Cujus rei exempla superius plura vidimus. Annis abhinc tribus, cum Hubertus serio pensasset, quanta negotiorum moles sibi uni, Archiepiscopo

Rog. p. 767.

Can-



Cantuariensi, ideoque Primati Angliæ, Sæcul. XII.  
 aliunde sacræ Sedis Legato, & publico A.C. 1199.  
 Regis ærario Præfecto incumberet, Re-  
 gem Richardum per suos vehementer  
 rogari jusserat, ut se saltem ab ærarii  
 cura & præfectura liberaret, quod Re-  
 gimini Ecclesiæ simul & Reipublicæ non  
 sufficeret. Jamque Rex consentiebat,  
 etsi propemodum invitus, quia strenuum  
 in rebus gerendis virum noverat; sed  
 preces suas ad Regis aures pervenisse  
 pœnituit Archiepiscopum, cogitantem,  
 quam quæstuosum sibi fuisset supremi  
 Prætoris ministerium. Cumque ratio-  
 num suarum tabulas inspexisset, Regi,  
 suo nomine, referri jussit; jam per bien-  
 nium opera sua undecies centies mille  
 argenti marcas ex Angliæ Regno ad ip-  
 sum rediisse, & si ministerium suum  
 Regi ultra esset necessarium, se laborem  
 non recusaturum. Ita etiam exinde  
 insuperhabitis officiis suis spiritualibus  
 Reipublicæ vixit.

Interim Principes provinciarum An-  
 degavensis, Cenomanensis & Turonen-  
 sis Dominum sibi cooptarunt Artum  
 puerum ex Godefrido, Joannis Regis  
 fratre natu majore, anno millesimo  
 centesimo octogesimo sexto fati functo,  
 genitum, quod dicerent, pro more pa-  
 triæ suæ primogeniti fratris, etsi defun-  
 cti, filio competere, ut in illa parte,  
 quam

Rog. p. 792.



Sæcul. XII.  
A. C. 1199.

quam pater habiturus fuisset, succedat. Constantia igitur Arti mater, Turonem profecta, adolescentulum, post obitum patris natum, tunc duodennem, Regis Franciæ, Domini sui, potestati tradidit.

## §. XVIII.

*Petri Blesensis extrema.*

Sup. Lib.  
LXXII.  
§. 15.

ep. 123.

Sup. Lib.  
LXXIII.  
§. 14.

In hoc ferme tempus obitus Petri Blesensis, post annos triginta, ex quo ex Sicilia in Angliam redierat, incidit. Is usque in senectutem Diaconus, Richardo Episcopo Londinensi urgenti, ut Presbyterum se ordinari pateretur, data longa Epistola respondit, & argumenta, quæ ipsum deterrebant, opposuit: *Sacerdotii reverentia, inquit, non contemptus me prohibet. Omnibus artibus contremisco, quando supremam Sacramenti Altaris Dignitatem considero. Ideo Ordo Carthusiensis raro sacrificat. Video hodie, quod erumpentibus lacrymis dico, innumerabilem multitudinem hominum, illiteratorum & secundum legem carnis viventium, eminentissimo Ministerio appropinquare. Video, inquam, Sacerdotum multitudine Sacramenti Dignitatem vilescere. Longa pœnitentia peccata expianda sunt, antequam ad Altare accedere liceat. S. Paulus Eremita, S. Antonius, S. Hilarion, & ipse S. Benedi-*



nediectus nunquam ad Sacerdotii munus Sæcul. XII.  
 euecti, in simplicitate animi salutem A.C. 1199.  
 suam consecuti sunt. Diacono quoque  
 suum est officium, cui utinam ego mi-  
 ser satisfaciam! Sæpe Archiepiscopi  
 Cantuarienses, Domini mei, instabant;  
 Sacerdotem ordinari me sinerem. Sed  
 ego sperabam, me, ut alterum Lauren-  
 tium, S. Thomam Cantuariensem vel  
 in exilium vel ad Martyrium secutu-  
 rum esse. Nullibi vero legi, Archidia-  
 conum ad suscipiendum altiorem ordi-  
 nem æque compelli posse, ac simplicem  
 Diaconum, si id casus necessitatis postu-  
 let, ut in Concilio Carthaginensi sta-  
 tuitur. Vidimus in Ecclesia Romana  
 viros in ordine Diaconorum usque ad  
 decrepitam ætatem & usque ad mor-  
 tem perseverare. Cælestinus Papa, qui Sup. Lib.  
 bodie sacram Sedem tenet, annis sexa- LXXIV.  
 ginta quinque Diaconus fuit; quod ex §. 28.  
 ipfius ore sæpe audivi. Ex his dispici-  
 mus hanc Epistolam post annum mille-  
 simum centesimum nonagesimum pri-  
 mum, & ante annum millesimum cen-  
 tesimum nonagesimum octavum scri-  
 ptam fuisse.

Nihilominus Petrus Blesensis, ami-  
 corum precibus resistere non valens, sub  
 finem vitæ suæ Presbyter ordinatus est.  
 Id enim cognoscimus ex ejus Epistola  
 data



Sæcul. XII.  
A. C. 1199.

data ad quemdam Abbatem, cujus oratione in hoc sacro negotio adjuvari petiit. Tum dimisso Archidiaconatu Bathoniensi ad Londinensem translatus est. Quia vero vir ætate gravis variis corporis infirmitatibus premebatur, data Epistola Innocentium Papam rogavit, ut egenæ huic Dignitati consuleret, quæ sine redivitibus solo splendore spectabilis erat. *Numerantur Londini, inquit, hominum quadraginta millia, & Ecclesiarum centum viginti. Nec tamen accipio Decimas, nec oblationes Laicorum, nec ab Ecclesiis illa quæ ob jus Synodicum, vel Cathedræ, vel procurationis seu hospitii petere possem mihi dantur. Episcopis igitur Eliensi & Wintoniensi præcipe; Archidiacono Londinensi certos census, ea ratione qua alii habent, statuam; quod ut exequi valeant, Regis præsidium petant.* Magnam librorum vim a Petro Blesensi accepimus, Epistolas, Sermones, aliosque Tractatus, locis communibus, & cumulatim S. Scripturæ textibus pro illius ævi ingenio refertos. Ex quadam Epistola videmus, Petrum Medicinæ peritum, & non nunquam ad curandos ægros fuisse vocatum.

ep. 43.

§. XIX.



## §. XIX.

Sæcul. XII.  
A.C. 1199.*Sententia Decretoria in causa Ecclesiarum Dolensis Et Turonensis.*

Hoc tandem tempore finita est lis de *Sup. Lib. XLVIII.*  
 Jure Metropolitico Britanniae, quæ *XLVIII.*  
 tot annorum lapsu sub Judice fuerat. *§. 44.*  
 Suo loco memoravimus, Nomenojum *Lib. L. §. 46.*  
 Ducem Britanniae, cum Regem se ungi  
 vellet, anno octingentesimo quadragesi-  
 mo octavo, Sedem Dolensem erexisse,  
 & Episcopum Metropolitam declarasse.  
 Inde post annos octodecim Episcopos in  
 Concilio Sueffionensi tertio sedentes ad  
 Nicolaum I. Papam querelas detulisse,  
 quod Britones Ecclesiam Turonensem,  
 Metropolim suam, non amplius venera-  
 rentur. Scimus, Clericos Turonenses *Lib. LIX.*  
 has querelas anno millesimo quadragesi- *§. 62.*  
 mo nono in Concilio Remensi, præsiden-  
 te Leone IX. Pontifice, renovasse, iter-  
 umque Gregorio VII. in Concilio Ro- *Lib. LXIII.*  
 mano anno millesimo octogesimo fuisse *§. 1.*  
 expositas. Urbanum II. Archiepiscopo *Lib. LXIV.*  
 Turonensi faventem sententiam anno *§. 16.*  
 millesimo nonagesimo quarto pronun- *Lib. LXIX.*  
 ciaffe, eamque Lucium Papam II. anno *§. 5.*  
 millesimo centesimo quadragesimo quar- *L. LXXIII*  
 to confirmasse, sed Godefrido Episcopo *§. 22.*  
 Dolensi licentiam Pallio utendi conces-  
 sisse,

*Hist. Eccles. Tom. XVIII.*

Na

sisse,



Sæcul. XII. fuisse, ac inde occasionem litem restaurandi, eamque usque ad Innocentii III. Pontificatum protrahendi natam fuisse.

*Lobineau  
hist. Bret.  
lib. 6. n. 43.*

*1. ep. 168.*

*Rog. p. 797.*

*Sent. ap.  
Martenne.  
p. 164.*

*Innoc.  
2. ep. 82.*

Joannes Vaunesius, Electus Episcopus Dolensis, Romam cum tribus Ecclesiæ suæ Canonicis profectus, a Papa tanquam Archiepiscopus consecrari petebat, & Papa jam anno superiore Bartholomæum Archiepiscopum Turonensem vocaverat, ut jura sua defenderet. Quia vero male affectum corpus tam longum iter moliri non permittebat, Ecclesiæ suæ Cancellarium tresque alios Canonicos Romam miserat. Papa primum rem transactione Partium componere satagebat. Jamque Legati Turonenses amore pacis consentiebant; Episcopus Dolensis Archiepiscopali Dignitate gauderet, haberetque duos Suffraganeos, ea solum conditione, si Archiepiscopo Turonensi ut Primati suo subjiceretur. Verum Episcopo Dolensi hæc pacta rejiciente, quod ipsi duæ Ecclesiæ Suffraganeæ non contiguæ sed separatae offerrentur, Papa solemnè Judicio decernere statuit, ac utrique Parti in publico Consistorio causam prolixè dicenti aures præbuit. Tunc vero Joannes, Episcopus Dolensis electus, intelligens, nihil propius esse, quam ut causa caderet, Electioni renunciare in manibus Papæ, & juri suo voluit, sed Innocentius utrumque



que denegavit, ne novorum jurgiorum radicem relinqueret. Causa itaque cum Cardinalibus mature pensata, sententiam publice protulit, qua Antecessorum suorum Decreta confirmans constituit, Ecclesiam Dolensem semper Turonensi debere esse subjectam, nec unquam Episcopo Dolensi usum Pallii licere expectere, aut quocunque demum prætextu inventi novi argumenti vel documenti antiquam crambem recoquere. Huic sententiæ, prima die Junii anno millesimo centesimo nonagesimo nono datæ, Pontifex ac viginti & unus Cardinales subscripserunt. Hic terminus fuit celebratissimæ contentionis per annos trecentos & quinquaginta agitatæ. Innocentius Papa hac de re Regi Franciæ, Comitissæ Britanniæ, Arto juniori ejus filio, omnibusque illius provinciæ Principibus scripsit, jubens, ut cunctos ad servandam hanc sententiam compellerent. Scripsit Clericis populoque Dolensi; Ecclesiæ Turonensi tanquam Metropolitanæ suæ se subjicerent, & Capitulo Cathedrali electum Episcopum suum intra duos menses Archiepiscopo Turonensi sisterent, ab eo consecrandum, tandem Archiepiscopo etiam Rotomagensi, ejusque Suffraganeis, ne quidquam latæ sententiæ adversum agerent. Nempe ab eis utpote vicinis Dolenses

Sæcul. XII.  
A.C. 1199.

5. ep. 84. 85.  
Etc.

Nn 2

facrum



Sæcul. XII. A.C. 1199.                       
 sacrum Chrisma petebant, eosque Ordinationis causa adibant.

Sententiam cunctis bona fide exequentibus, exinde Ecclesia Dolensis cum omnibus aliis Britanniae Ecclesiis Cathedralibus Turonensi subdita fuit.

## §. XX.

*Translatio Episcoporum.*

**M**odico abhinc tempore Innocentius Papa eidem Archiepiscopo Turonensi succensuerat. Cujus rei hæc erat occasio. Guilielmus *de Chemillé* cooptatus fuerat Episcopus Abrincensis, & electio ab Archiepiscopo Rotomagensi Metropolita suo confirmata. Quin etiam hanc Ecclesiam aliquamdiu administraverat, etsi necdum esset ordinatus. Tum vero Archiepiscopus Turonensis Guilielmum ad Ecclesiam Andegavensem translatum ordinavit, præterita Summi Pontificis auctoritate.

*Gest. Innoc.*  
 c. 43.  
 a. ep. 117.

Id factum Innocentio minime probabatur; quare ad Henricum *de Sulli*, Archiepiscopum Bituricensem, Episcopi Parisiensis fratrem, Epistolam dedit, cujus summa hæc fuit: *Patres nostri, Jesu Christi Institutum sequentes, Causas majores sacrae Sedi reservarunt, quales sunt, si Episcopus abdicet Episcopatum, aut a Sede sua ad aliam transferatur.*  
 Patres



Patres, quorum auctoritatem afferre In- Sæcul. XII.  
 nocentius Papa se putat, sunt Evaristus, A. C. 1199.  
 Callistus & Pelagius II. Pontifices, quo- 7. q. 1. c. 11.  
 rum nomina præferunt confictæ illæ De- ex Evar.  
 cretales, quæ jura ista S. Sedi tribuunt, ep. 2. c. 29. ex  
 a Gratiano in Decretum suum relatæ. Callisti. ep. 2.  
 Tum Papa prosequitur: *Ne igitur ista Pelag. II.*  
*molitio impunita abeat, aliisque talia ep. 2.*  
*audendi exemplum præbeat, præcipi-*  
*mus tibi; postquam rei veritatem satis*  
*exploratam habebis, Archiepiscopum Tu-*  
*ronensem a Jure confirmandi & con-*  
*secrandi Episcopos, Guilielmum\* vero\* de Chemillé*  
*ab omni Episcopali officio suspende, do-*  
*nec aliud de iis decreverimus. In illud*  
*etiam inquire, an Archiepiscopus Ro-*  
*tomagensis ei licentiam concesserit, Se-*  
*dem Abrincensem dimittendi; quod si*  
*factum sit, eandem ei pœnam Canoni-*  
*cam ac Archiepiscopo Turonensi injun-*  
*ge. Sicut enim aliorum Jura conserva-*  
*mus, ita etiam nostra violari non pa-*  
*timur, cum ordo Caritatis exigat, ut,*  
*post Deum, nos primum & deinde pro-*  
*ximum diligamus.*

Ut huic mandato majorem auctori- r. ep. 50.  
 tatem conciliaret Innocentius, in ista  
 Epistola refert, quæ in alia scripserit Pa-  
 triarchæ Antiocheno, qui Archiepisco-  
 pum electum Apamiensem ad Episcopa-  
 tum Tripolitanum transtulerat, sicque  
 eum Dignitate Archiepiscopali exuerat,

Nn 3

quam-



Sæcul. XII. A.C. 1199. ep. 51. quamvis jam ejusdem Dignitatis potestate annexa usus cujusdam Episcopi Electionem confirmasset. Nempe Innocentius Papa Patriarcham a potestate confirmandi Episcopos, & Episcopum, ut dicebatur, Tripolitanum ab omni officio Sacerdotali suspendit.

ep. 447. Archiepiscopus Bituricensis Papæ mandata strenue executus, Archiepiscopum Turonensem suspendit, qui, Nunciis Romam missis, veniam a Papa rogavit, confessus se errasse non improbitate sed simplicitate animi, & quod evidens Ecclesiæ Andegavensis emolumentum hanc Translationem expoposcerit. Haud ægre flecti se passus est Innocentius, datisque ad Archiepiscopum Bituricensem literis, eum tam Archiepiscopum Turonensem quam Rotomagensem a suspensione absolvere jussit. Hæc ex Epistola Innocentii die tertia Decembris anno millesimo centesimo nonagesimo octavo data cognoscimus.

ep. 532. In alia autem vigesima prima Januarii anni sequentis Papa manifestat; memorandum Guilielmum Romam venisse, & errati veniam humiliter a se petiisse. Ceterum Ecclesiam quoque Andegavensem, datis ad se literis, affirmasse, omnes Canonicos in suo proposito perseverare, nec de alio Episcopo eligendo posse consentire. Itaque Papa indulgere statuit, Guiliel.



Guilielmi vinculum cum Ecclesia Abrin- Sæcul. XII.  
censi solvit, eumque Andegavum trans- A. C. 1199.  
tulit.

Sub idem tempus alia Translatio contigit, ex qua gravior secuta est perturbatio. Conradus Episcopus Hildesheimensis, Aulæ Cæsareæ Cancellarius, vir generis nobilitate, opibus, potentia clarus, acer ingenio, & solertiæ singularis, effecit, ut ad Ecclesiam Herbipolensem, Hildesheimensi multo pinguiorem, transferretur, præterita Innocentii Papæ auctoritate, dicens, licentiam sibi datam esse a Cœlestino, Innocentii Antecessore, qua ad altiorem Dignitatem, si offerretur, posset ascendere. Inuo- Res Ecclesiæ  
centius Papa de hac Translatione non in Germania.  
solum per aliorum, sed etiam per ipsius Conradi, qui se Episcopum Herbipolensem dicebat, epistolas certior factus, missis mandatis districtè præcepit; ab hujus Ecclesiæ regimine sub pœna excommunicatiōis abstineret. Populo prohibuit Clericisque, ne ei obedirent, & Canonicos ad hunc solummodo actum jure eligendi, sub pœna Nullitatis, privavit. Nec istud satis Pontifici visum; sed etiam Conradum vetuit ad Ecclesiam Hildesheimensem redire, quod Canones statuerent, Episcopum, qui Sedem suam reliquisset, ut ad majorem transiret, merito suo utraque privandum esse.

*Gest. n. 44.*

*1. ep. 335.*

Nn 4

Ita-



Sæcul. XII. Itaque Innocentius Episcopo Bamber-  
A.C. 1199. genfi mandat; nisi Conradus ceterique  
 intra dierum viginti spatium obedirent,  
 eos per totum Germaniæ Regnum ex-  
 communicatos denunciaret, atque hanc  
 Censuræ Ecclesiasticæ sententiam omni-  
 bus diebus Dominicis, pulsatis campa-  
 nis, & accensis rursusque suppressis ce-  
 reis promulgari juberet. Eadem man-  
 data Pontifex ad Archiepiscopos Colo-  
 niensem, Magdeburgensem, Salisbur-  
 gensem, eorumque Suffraganeos misit.  
 Hæ literæ vigesima prima Augusti an-  
 no millesimo centesimo nonagesimo octa-  
 vo datæ.

*Ep. 574.* Querebatur Conradus, se nec audi-  
 tum nec convictum a Papa fuisse damna-  
 tum; cui Papa respondit, ubi delictum  
 publicum esset & manifestum non re-  
 quiri Judicii ordinem. Non paruit  
 Conradus, sed post Pontificis Decretum  
 non nulla beneficia in Diocesi Herbipo-  
 lensi clientibus suis contulit, & quamvis  
 Papa jubente alius Episcopus Hildeshei-  
 mii electus fuisset, ipse tamen sibi ipsi  
 hujus Ecclesiæ Titulum tribuere non de-  
 sinit. Quare Papa Conradum Romæ in  
 Festo S. Petri die vigesima nona Junii  
 anno millesimo centesimo nonagesimo  
 nono inter Missæ solemnias, ipsius Lega-  
 tis præsentibus, Excommunicatum de-  
 nunciavit. Tum comperto, quod com-  
 plures



plures Clerici atque ipse Advocatus Ecclesie Hildesheimensis mandatis suis re-  
 fractarii Electionem alterius Episcopi suo jussu peractam rejicerent, Conradum  
 ut antea Episcopum venerarentur, & ad percipiendos fructus hujus Ecclesie vim  
 adhiberent, datis literis, Episcopum Paderbornensem jussit eos excommunicationis vinculo ligatos promulgare, eorum  
 ditiones Interdicto Ecclesiastico constringere, & alienationes, a Conrado, præsertim postquam Sedem Herbipolensem  
 invalisset, factas, nullius roboris esse declarare. Hæc Epistola secunda die Februarii anno millesimo ducentesimo data.

Eodem rigore Innocentius Papa usus est in Eberhardum Episcopum Brixinensem\*, qui cum Archiepiscopus Salisburgensis electus fuisset, eam Dignitatem, inconsulto Summo Pontifice, ac-  
 ceptaverat. Papa Electionem nullam pronunciavit, Præsulem Brixinum redire jussit, & Wernerum Episcopum Gurcensem, quem Eberhardus, Archiepiscopali potestate usus, ordinaverat, deposuit. Eberhardus exemplum Conradi metuens morem celeriter gessit, & cum secundo electus fuisset, consentire non ausus, cum suis Electoribus Papam adiit, ac dispensationem impetravit.

Sæcul. XII.  
 A. C. 1199.

\* Brixen

Gest. n. 45.  
 Bucel.

Germa. Sas.  
 parte 1.

Nn 5

In



Sæcul. XII.

A.C. 1199.

In his omnibus causis Innocentii Pape præcipua cura non fuisse videtur, Translationes Episcoporum, ab antiquis Canonicis Constitutionibus tam districte prohibitas, impedire, cum eas rogatus facile concederet.

Sed eo zelus ipse commovebatur, quod per translationes injuriam sacrae Sedi, si absque ejus auctoritate fierent, inferri crederet.

## §. XXI.

*Causa Ecclesiarum Bracarensis & Compostellensis.*

Simul ac Innocentius Papa causam Ecclesiarum Dolensis & Turonensis componebat, etiam litem a multis annis in Hispania inter Archiepiscopos Bracarensem & Compostellensem exortam definivit, de septem Ecclesiis, in quas se Jure Metropolitico gaudere dicebant, nempe in Episcopatus Conimbricensem, Lamecensem, Viseensem, Igæditanensem, Ulissiponensem, Eboranum, & Sertinensem. Porro hujus controversiæ occasio fuerat, quod Callistus Papa II. circa annum millesimum centesimum vigesimum tertium Compostellensem Ecclesiam ad Dignitatem Metropolitanam evexerit; nam in hanc urbem prærogativam antiquæ urbis Emeritæ, olim totius

*Gest. Innoc.*  
c. 42.

*Sup. lib.*  
*LXVII.*  
§. 36.



totius Lusitaniæ Metropolis, postea a <sup>saecul. XII</sup> Mauris devastatæ, transfuit, & nihilo <sup>A. C. 1199.</sup> minus Archiepiscopo Bracarensi jura Metropolitæ in Galæcia confirmavit. Non facilis autem negotii res erat utriusque antiquissimæ provinciæ fines inter noscere, post tot in Hispania, collapsis Romanorum Imperio, vicissitudines, quæ sub Barbarorum, ex Septentrione advektorum, Gothorum, Vandalorum, aliorumque Dominatu successerant.

Ambo igitur Archiepiscopi Petrus Compostellensis & Martinus Bracarensis Romam profecti, cum Innocentius Pontificatum **auspicaretur**, documenta causæ suæ, Pontificum Bullas, Conciliorum Hispaniæ Canones, antiquas Regionis divisiones ex Commentariis publicis, Historicorum etiam profanorum scripta, cuncta denique exposuerunt, quæ ad munendam postulationem suam apta credebant. Acta in Mandatariis antecedentium Pontificum tam quoad formam quam substantiam accurate examinata. Tandemque Innocentius Papa, primo de duabus Ecclesiis Episcopalibus Ulyssiponensi & Eborana pronuncians, utramque Archiepiscopo Compostellensi adscripsit, facta potestate ibidem Jurisdictione Metropolitæ competente utendi. Hæc sententia die secunda Julii anno millesimo centesimo nonagesimo nono

2. ep. 103.

no



Sæcul. XII.  
A. C. 1199.

ep. 105.

no data est. In altera Declaratione deinde, quinta die ejusdem mensis edita, dicit, hanc sententiam Archiepiscopo Bracarenfi quoad Episcopatum Sertinensem, in quo jure possessionis Jurisdictione gaudet, non nocere.

ep. 133.

Quod ad alios quatuor Episcopatus, nempe Conimbricensem, Lamecensem, Viseensem, & Igaditaniensem spectat, conciliante Papa, amica transactione Partes consenserunt, ut ex his quatuor quilibet Archiepiscopus duas sibi subiectas haberet. Viseum & Conimbrica urbes Archiepiscopo Bracarenfi data, Lameca & Igaditania Compostellensi concessæ, quod aliquando veteri Metropoli Emeritæ subiectæ fuerint. Ita ex septem Ecclesiis Episcopalibus, de quibus lis erat, quatuor Archiepiscopo Compostellensi & tres Bracarenfi traditæ. Sed hæc divisio postmodum iterum mutata. Ceterum in his Innocentii Papæ Bullis quid Partes postulaverint, & argumenta, quibus causam suam tuebantur, prolixè exposita leguntur, multumque ad cognitionem Historiæ Ecclesiasticæ in Hispania conferunt.

ep. 106.

Tunc etiam Papa pactum inter ambos Archiepiscopos de usu Crucis inito confirmavit, quo statuebatur, ut uterque eam sibi præferri jubere in alterius provincia posset.

Eodem



Eodem anno Papa Ordinem *de Ca-* Sæcul. XII.  
*latrava*, ante annos quadraginta sub A. A.C. 1199.  
 lexandro III. institutum, confirmavit. II. c. 53.  
 In qua Bulla Innocentius Fratribus præ-  
 cipit; Regulam sibi ab Abbate Cister-  
 censium traditam inviolabili fide serva-  
 rent. Non autem erat alia quam Mo-  
 nachorum, in quibusdam capitibus tem-  
 perata, ut vitæ militari accommodaretur. *Sup. lib.*  
 Quippe hi Equites nullo alio ve-  
 stimento lineo utebantur, nisi caligis; *LXX. §. 31.*  
 vestiti dormiebant. Carnibus non alio  
 tempore quam a Festo S. Crucis usque  
 ad Pascha ter in hebdomada vescebantur.  
 Licentiam eis concedit Papa, qua Eccle-  
 sias proprias habeant, prohibetque, ne  
 in eorum fundis, ipsis invitis, novæ ædi-  
 ficentur. Jus etiam præsentandi Cleri-  
 cos, in eorum Ecclesiis ministraturos,  
 tribuit. Hæc Bulla vigesima octava A-  
 prili anno millesimo centesimo nonage-  
 simo nono data.

## §. XXII.

*Manichæi in Urbe vetere.*

Manichæi in Urbe vetere, Sede Epi-  
 scopali, prope Romam grassaban-  
 tur, quo istam Religionis pestem quidam *vit. S. Petri*  
 patria Florentinus, nomine *Porenc.*  
*Diothesalvi*, *Boll. to. 16.*  
*p. 86.*  
 vir eximia specie & modestia externa  
 venerabilis invexerat. Is Hæresim suam  
 sparge-



Sæcul. XII.  
A.C. 1199.

\* Orvieto.

spargere cœpit in Urbe vetere \*, cum  
ibi Rusticus Episcopus sederet, nempe  
circa annum millesimum centesimum  
quingagesimum. Dicebat vero, Sa-  
cramentum Eucharistiæ nihil esse, Ba-  
ptismum ab Ecclesia Catholica collatum  
rem esse ad salutem inutilem, orationes  
& eleemosynas mortuis nullum solatium  
afferre, S. Silvestrum & omnes ejus sac-  
cessores esse damnatos, omnia visibilia  
esse Opera Diaboli, ejusque potestati  
obnoxia, omnem hominem probum  
S. Petro meritis æqualem esse, & mer-  
cedem æqualem accepturum, contra fo-  
re, ut omnis improbus æqualem pœ-  
nam ac Judas sustinere cogatur (\*).

Diotefalvium, cum quodam alio Ge-  
rardo *de Marsan* hanc Doctrinam in  
Campania Romana prædicantem, Ri-  
chardus Episcopus ex urbe vetere, quanti  
Sedem ab anno millesimo centesimo se-  
xagesimo nono ultra annum millesimum  
ducentesimum tenuit, ejecit. His duo-  
bus Pseudo-apostolis succurrerunt duæ  
mulieres Milita & Julita, quarum singu-  
laris pietatis species aliquamdiu Episco-  
po

(\*) Da finden wir wiederum liebe Väter  
der Protestanten in einigen Lehrensätzen. Nur auch  
Schade! daß sie in andern Sätzen Manichæer  
waren, die allzeit ein Abscheu der vernünftigen  
Christen gewesen sind.



po imposuit. Melita suis sumtibus ma-  
 joris Ecclesiæ ruinas sarciebat, Julita se  
 vitæ contemplativæ illecebris captam  
 simulabat, ac cum utraque his fraudi-  
 bus nobilium matronarum amicitiam in  
 illa urbe sibi conciliaffet, earum plurimas,  
 quin etiam viros Hæresis veneno infe-  
 cerunt. Episcopus intelligens has femi-  
 nas sibi illulisse, Canonicis, Judicibus,  
 aliisque viris prudentibus ad consilium  
 vocatis, tanto vigore Hæreticos perse-  
 cutus est, ut alii in patibulo necati, alii  
 capite plexi, alii in ignem coniecti, alii  
 in exilium expulsi sint, & alii, quia in  
 errore mortui, Ecclesiasticæ sepulturæ  
 honore privati.

Sæcul. XII.

A. C. 1199.

At cum Innocentius Papa sacram Se-  
 dem occupasset, & ex potestate civium  
 Urbis veteris Aquaspendentes Arcem  
 vellet recipere, reluctantes excommu-  
 nicavit, eorumque Episcopum novem  
 circiter mensibus Romæ detinuit, ut  
 saltem pudorem incuteret. Verum ab-  
 sente Episcopo quidam Manichæorum  
 Magister, nomine Petrus Lombardus,  
 cum aliis impostoribus Viterbium & in  
 Urbem veterem delati, conciliatis sibi  
 multis Sectatoribus, contra Catholicos  
 publice ex cathedris dicere ausi sunt,  
 consiliumque ceperunt, si ipsis arma in-  
 ferrentur, Catholicos ex urbe ejicere.  
 Porro cum Urbs Vetus inexpugnabilis  
 esse

Gest. Inndc.  
c. 12.



Sæcul. XII. esse diceretur, Hæreticos unde unde illuc  
 A.C. 1199 confugientes recepturi erant, hostes  
 deinde irruentes facile repulsuri. Ut  
 tanto malo occurrerent Urbis veteris  
 Catholici, communi consilio, missis Ro-  
 mam Legatis Præfectum suæ urbis a Pa-  
 pa constituendum expetierunt, qui sa-  
 nam civium partem ei reconciliaret, &  
 Hæreticos penitus eliminaret.

## §. XXIII.

*S. Petrus de Parenzo.*

Papa igitur civibus Urbis veteris pe-  
 tentibus Petrum de *Parenzo* misit,  
 juvenem quidem, sed prudentem, rara  
 vi ingenii præditum, facundum, virtu-  
 tis amantem, præter Romanorum mo-  
 rem Decimas bona fide dantem, & e-  
 leemosynas munifice largientem. Is in  
 Urbem veterem perveniens mense Fe-  
 bruario anno millesimo centesimo nona-  
 gesimo nono, a populo ramos ex olivis  
 & lauris deferente ac maximam profi-  
 tente lætitiâ excipitur. Nihil vero  
 antiquius habuit, quam ludos equestres  
 prohibere, in Bachanaliis celebrari soli-  
 tos, quod tunc vires exercendi prætex-  
 tu homicidia committerentur. Sed ejus  
 mandatum, instigantibus ceteros Hære-  
 ticus haudquaquam, ut par erat, serva-  
 tum est, nam prima die Quadragesimæ  
 mensis



mensis Martii tertia in Foro publico acer- Sæcul. XII.  
 rime pugnatum; quam rem avertere in A.C. 1199.  
 ejus potestate non fuit. Deinde autem  
 ut a præcipuis auctoribus pœnas exige-  
 ret, turres super illa Palatia eminentes,  
 unde tela in subjectos emissa fuerant, di-  
 rui jussit. Idque odii, quo deinde Hæ-  
 retici in eum flagrarunt, principium fuit.  
 In Ecclesia principe cum Richardo Epi-  
 scopo sæpe deliberabat, qua potissimum  
 ratione urbs ab hæreticorum colluvie  
 purgari posset, cumque aliorum etiam  
 prudentum virorum consilium auscultas-  
 set, publice denunciari præcepit; illos,  
 qui præstituta die ad Ecclesiæ sinum re-  
 dirent, recipiendos esse, in pertinaces  
 vero secundum rigorem Legum & Ca-  
 nonum animadvertendum. Episcopus  
 non nullos Hæresim abjurantes ad pœ-  
 nitentiam admisit, eosque in conspectum  
 Præfecti deduxit, qui ceteros variis pœ-  
 nis affectit. Aliqui in vincula conjecti,  
 alii publice virgis cæsi, alii proscripti, a-  
 liis multa pecuniaria injuncta, aliorum  
 domus dejectæ.

Exinde Petrus Romam profectus est,  
 inter suos Familiare Festum Paschæ,  
 quod hoc anno millesimo centesimo no-  
 nagesimo nono in diem decimam octa-  
 vam Aprilis incidebat, celebraturus. U-  
 bi in conspectu Papæ fuit, is juramentum  
 fidei, quod sibi tanquam Præfectus Ur-

*Hist. Eccles. Tom. XVIII.*      O o      bis



Sæcul. XII. bis veteris debebat, petiit, & Petro re-  
 A.C. 1199. spondente, velle se promte obedire, ait:

*Juramenti formulam tibi relaxamus; sed qua ratione urbem nostram regis? & quomodo mandata nostra contra Hæreticos executus es? Cui Petrus: Domine, Hæreticos in urbe, cujus præfectura mihi commissa, ita castigavi, ut mortem mihi palam denuncient. Iterumque Pontifex: Fili mi! alacriter decerta. Corpus tuum occidere possunt, animam non possunt. Si vero istorum hominum furor te peremerit, in nomine Dei Omnipotentis & Sanctorum Apostolorum ab omnibus peccatis tuis te absolvo. Petrus inclinato capite Pontifici gratias egit, lætus domum repetiit & secreto Testamentum condidit; quo comperto mater ejus & uxor largissime lacrymas fuderunt (\*).*

§. 2.

Petro absente, Hæretici urbis veteris, injunctis sibi pœnis exacerbati, collatis consiliis, redeuntem capere decernunt, atque ad reddenda pignora, quæ ipsis auferri jusserat, ad revocandam sententiam latam, atque Sectæ suæ plenam liber-

(\*) Hæc Innocentii Papæ verba in stylo Ecclesiastico Romano non peccatorum modo absolutionem generalem, cum nulla præcesserit Confessio, sed concessam Indulgentiam plenariam indicare videntur.



libertatem præsidiumque concedendum Sæcul. XII.  
 compellere. Quod ut exequerentur A.C. 1199.  
 facilius, quemdam Petri servum nomi-  
 ne Rudolphum corrumpunt, promisso  
 auro non modico, si Dominum prode-  
 ret. Petrum Roma in urbem veterem  
 revertentem prima die Maji cives in-  
 ter maximæ lætitiæ signa, viam herbis  
 & floribus sternentes, excipiunt. Ipse  
 ut antea Manichæos insectans, elevatis  
 ad Cælum manibus Deum, sanctam Vir-  
 ginem, & S. Petrum sæpe orabat, ut si  
 violentia externa adhibita sibi morien-  
 dum esset, id Hæreticorum manibus &  
 ob defensionem Fidei Catholicæ sibi ob-  
 tingeret. Vigesima die Maji, cum jam  
 discalceatus lecto se commissurus esset,  
 Hæretici, perfido Rudolpho Duce, fo-  
 res Palatii, in quo Sedem fixerat, cir-  
 cumstant, admitti ad colloquium fero-  
 citer petunt, tum irrupentes compre-  
 hensum ligant, guttur loris constringunt,  
 ne clamore amicos ad auxilium excita-  
 re posset, os obstruunt, & caput obve-  
 lant. Ita ex domo sua abstractum pro-  
 cul a civitate raptaturi erant; quia ve-  
 ro de loco, in quem captum ducerent,  
 non satis inter latrones conveniebat,  
 dum aliquos ex suis ad socios facinoris  
 mittunt, Petrum tuguriolum intrare  
 compellunt; ubi conditiones pacis po-  
 fuerunt; pecuniam & pignora exacta



Sæcul. XII.

A.C. 1199.

redderet, urbis præfecturam abdicaret, & si salvus esse vellet, jurejurando promitteret, se nunquam ipsorum Sectæ hostem sed amicum & defensorem futurum. Respondit Petrus; velle se pecuniam & pignora reddere, sed urbis Regimen non dimissurum, nec juramentum Sectæ eorum favens editurum, & fidem jurato datam, quod per annum Urbi veteri præesse vellet, non violaturum. His Petrum ita urgentibus, adsunt alii Sectarii, prioribus atrociores, quorum aliquis: *cur, socii, tempus perditis?* simul extento brachio, Præfectum feriens, excusso dente, totam faciem fœde cruentavit. Alius arrepto instrumento ferro, quo molitores utuntur, ingenti vulnere afficit in occipite, sicque, prostrato corpore collapsum in pulverem, ceteri, gladiis & pugionibus eandem plagam exacerbantes, trucidant.

Tum latrones corpus in puteum demersuri erant, sed cum tectum dejicere non valerent, eo sub arbore relicto, aufugiunt. Ubi illuxit, nefandæ cædis fama per urbem volat, festinant Episcopus, Clerici, populus, funus conspicere, luctuosissimum cunctis spectaculum. Si ne mora corpus ad Ecclesiam Cathedrali defertur, & in illo loco, in quo Petrus cum Episcopo sæpe de extirpandis Hæreticis consilia conferre solebat, se-

6. 3.

peli.



pelitur. His diebus & per sequentes Sæcul. XII.  
 deinde menses miracula edita, quæ cum A. C. 1199.  
 omnibus adjunctis in Acta relata sunt. Papebr.  
 Ecclesia vero Urbis veteris Petrum ut Com. prov.  
 Martyrem in die obitus, vigesima prima n. 4.  
 Maji, colit.

## §. XXIV.

*Multi Metis de Hæresi suspecti.*

Sub idem ferme tempus Bertrandus Episcopus Metensis, data Epistola, Innocentium Papam certiore fecit, in Urbe sua & Diœcesi multos Laicos atque etiam mulieres dari, qui Scripturam sacram intelligendi desiderio impulsis, Evangelia, S. Pauli Epistolas, Psalmos, Libros de Moribus tractantes, librum Job, & plures alios in linguam Francorum transferri curassent. Eos lectioni hujus versionis ardentissime vacare, clandestinos conventus agere, in iisque explanationem conferre, & alterum alteri prædicare. Præterea illos, qui hujus studii participes esse volebant, contemnebant, eorum societatem fugiebant, & quibusdam Parochis, ardorem insolentem vituperantibus, respondebant audacter, ostensuros se ex Scriptura, errare Parochos, qui eos ab hac lectione velient abstrahere. Non nulli Pastorum suorum simplicitatem spernebant, eorumque sermone audito, dicebant se

O o 3 creto;







Moyſes, vel ex testimonio S. Scripturæ, Sæcul. XII.  
 ſicut S. Joannes Baptiſta, probare tenetur A. C. 1199.  
 (\*)

Licet vero ſcientia Presbyteris ad Matth. 3. 3.  
 docendum ſit maxime neceſſaria, nibilo-  
 minus viri etiam docti in eis Miniſterium  
 Sacerdotale revereri, & ſimplicitatem  
 non vilipendere debent. Episcopi eſt  
 Presbyterum, ſibi ſubjectum, leniter re-  
 prebendere, non autem populi Paſtorem  
 ſuum cum ſupercilio laceſſere. Si Pres-  
 byter indignus eſt, aut ad regendum gre-  
 gem ineptus, populus Episcopum adeat &  
 conqueratur, quia ille Presbyteros inſti-  
 tuendi & deponendi poteſtatem habet.

Ceterum Sectæ Phariſæorum accenſen-  
 di ſunt, qui alios ſpernunt, & ſe ſolos  
 Juſtos

O O 4

(\*) Es haben auch Luther, und andere ſo  
 genannte Glaubensbesserer vorgegeben, ihr Veruf  
 die Lehre der Schrift anders, als man in tauſend  
 und mehr Jahren in der allgemeinen Kirche ge-  
 than, vorzutragen, ſey unſichtbar; daher ihnen  
 auch weder Mirackel, noch das Zeugniß der  
 Schrift, oder das Anſehen einer Kirche nothwen-  
 dig geweſen. Allein ſo haben auch unſere Herrn  
 Proteſtanten und Glaubensgegner ſich allzeit müſ-  
 ſen gefallen laſſen, wenn man ihnen katholiſcher  
 Seits eben dieſes entgegen geſetzt, was Pabſt  
 Innocentius dieſen verdächtigen Leuten in der  
 Stadt Mez vorgerücket hat: Id omnis Hæreti-  
 cus dicere poteſt. Das kann ein jeder Ketzer  
 ſagen.



Sæcul. XII. *Iustos esse sibi blandiuntur.* Nam ab  
 A.C. 1199. *exordio Ecclesiæ multos sanctos Viros in-*

*venire est, a moribus istorum recentio-*  
*rum, qui novam perfectionem somniant,*  
*alienissimos. His verba Scripturæ in-*  
 Jac. 3. 1. *gerite: Nolite plures Magistri fieri. E-*  
*pistolam claudit Papa, cives Metenses*  
*exhortans, ut errorem noxium dimic-*  
*tant, seque vana virtutis aut pietatis*  
*specie seduci non patiantur.*

2. ep. 142. *Papa ad Episcopum quoque & Ca-*  
*pitulum Metense Epistolam dedit, in qua*  
*dicit: Prælatorum quidem est, in Hæ-*  
*reticos solícite inquirere, sed etiam pru-*  
*denter cavere, ne præcoci zelo piam Fi-*  
*delium simplicitatem offendant, iisve oc-*  
*casione præbeant, in Ecclesiam seditio-*  
*se insurgendi. Porro in Epistola vestra*  
*non satis diserte indicastis, quod illi, quos*  
*accusatis, in Fide errent, & a sana*  
*Doctrina deflectant. Penitus etiam ne-*  
*scimus, quæ fama, qui mores illorum*  
*sint, qui hanc versionem composuerunt,*  
*aut illorum, qui cum alios docent ea u-*  
*tuntur. Quare, vehementer vos hortamur;*  
*præcipite his hominibus, ut ea, quæ*  
*moribus Christianorum adversantur, e-*  
*minent, & Ministerium Prædicationis,*  
*ipsis non competens, non invadant. Ac-*  
*curate etiam auctorem hujus Versionis*  
*perquirite, quo consilio id molitus fue-*  
*rit, quam fidem illi, qui eam legunt, te-*  
*neant,*



neant, cur ipsi alios docere ausi sint, an  
 sacram Sedem & Ecclesiam Catholicam  
 reveantur, ut inde quid nobis agendum  
 sit cognoscere valeamus. Hæc Epistola  
 die duodecima Julii anno millesimo cen-  
 tesimo nonagesimo nono data.

Sæcul. XII.  
 A. C. 1199.

Elapsis exinde aliquot mensibus, E-  
 piscopus Metensis, data ad Papam Epi-  
 stola, significavit, quod aliqui, de quibus  
 conquestus esset, a sacra Sede impera-  
 ta facere detrectarent, & alii publice,  
 alii secreto dicerent; soli Deo obedi-  
 dum. Quod contra edita mandata clam  
 prædicarent, alios Christianos conte-  
 mnerent, suæ versioni essent addictissi-  
 mi & temere profiterentur, se nec Me-  
 tropolitæ, nec Papæ obtemperaturos, si  
 eam vellent suppressere. Unde Ponti-  
 fex datis literis, tres Abbates Cisterci-  
 sem, Morimontensem & Crestensem e-  
 jusdem Ordinis in Diocesi Lingonensi  
 Metas ire jussit, & juncta cum Episcopo  
 opera, errantes ad se vocare, ad eos e-  
 mendandos nullam curam omittere,  
 quod si tamen contumaces flectere non  
 possent, capita in querelis Episcopi con-  
 tenta exacte cognoscere, & omnia ad  
 sacram Sedem referre, ut sciret Papa  
 quid consilii capiendum esset in causa,  
 ad Ecclesiam universalem maxime per-  
 tinente, cum de Fide ageretur. Hæc  
 Epistola die nona Decembris anno mil-

O o 5

lesimo



Sæcul. XII. lesimo centesimo nonagesimo nono  
 A.C. 1200. data.

## §. XXV.

*Interdictum in Francia.*

to. II. Conc. Petrus Capuanus Innocentii III. Papæ  
 p. II. Legatus Interdicti sententiam in Re-

Gest. Innoc. millesimo ducentesimo, tribus post Na-  
 n. 21. 52. &c. talem Domini hebdomadis, nempe me-  
 dio mense Januario, promulgavit; quod

Sup. Lib. Rex Philippus repudiata Ingeburge,  
 LXXI. Principe Daniæ, Mariam Moraviæ du-  
 §. 53. xisset. Legatus Papæ literas suis inclu-  
 sit, omnibusque Franciæ Prælati mandavit; servarent ipsi, & ab aliis servari

Ep. Inn. III. curarent Interdicti sententiam, nisi pœ-  
 ap. Steph. næ suspensionis ab omni munere Episco-  
 Torra. p. 383 pali subjacere vellent. Aliis refracta-  
 riis, cujuscunque Ordinis & Dignitatis

Rog. Hoved. essent, indictum, omnibus officiis & be-  
 p. 801. neficiis esse privandos. Tum eos Ro-  
 mam citavit, intra Festum Ascensionis,  
 in diem decimam octavam Maji inci-  
 dens, contumaciæ rationem reddituros. Papa sententiam Legati confirmavit, sed  
 a communi lege exceptit Crucigeros, ju-  
 bens, ut Sacerdoti sacris operanti ades-  
 sent, & sepultura Ecclesiastica gaude-  
 rent.

Gest Inn.  
 n. 84.

Hæc cognoscimus ex proluxa Epistola,  
 quam sub idem tempus Præsulibus Fran-  
 ciæ



cia de Bello sacro scripsit. In ea expo- Sæcul. XII.  
 brat teporem, quo salutem Palæstinæ A. C. 1200.  
 negligebant, & ait: *Quis sperare posset,*  
*vos pro ovibus vestris vitam posituros*  
*esse, vos, inquam, qui huc usque ne qui-*  
*dem quadragesimam redituum vestrorum*  
*partem pro Jesu Christo dare voluistis,*  
*quamvis complures ex vobis in Concilio*  
*Divionensi trigesimam se daturos promi-*  
*serint.* Tum præscribit, quæ ratione hæc  
 pars quadragesima intra menses tres ex-  
 igi & colligi debeat. Et addit: *Ab*  
*hoc præcepto generali eximimus Ere-*  
*mitas Grandimontenses, Cartusienses,*  
*Monachos Cistercienses, & Canonicos Præ-*  
*monstratenses, quibus hac de re mandata*  
*alia misimus.* Præterea, in qualibet Ec-  
 clesia statuatur truncus excavatus clau-  
 sus, cui aperiendo necessariae sint tres  
 claves. Unamque Episcopus, alteram  
 Parochus, & tertiam pius Laicus servet.  
 Omnes Fideles per angustum foramen  
 suam pecuniam immittant, ac in singulis  
 Ecclesiis, omnibus septimanis Missa una  
 pro remissione peccatorum, imprimis illo-  
 rum, qui offerunt, decantetur. Unde  
 Episcopis potestatem concedimus, commu-  
 tandi pænitentias in hanc eleemosynam,  
 ad auxilium Terræ sanctæ adbibendam,  
 considerata conditione pænitentium &  
 devotionis fervore. Ante hoc Sæcu- *Vid. Cang. 1*  
 lum XII. vocem *Truncus*\* ad signifi- *Gloss. Trun-*  
 candas\* Tronc *cus.*

candas\* Tronc



Sæcul. XII. A.C. 1200. candas areulas in Ecclesiis positas, in  
 quas eleemosynæ mittuntur, adhibitam  
 nullibi inveni.

Subjungit Papa: *Ut Crucigerorum  
 precibus aliquid demus, eosque ab Inter-  
 dicto, quo Francia constringitur, libere-  
 mus, salvo tamen Disciplinæ Ecclesiasti-  
 cæ rigore, præcipimus vobis; si aliqui  
 eorum Divinis Officiis interesse cupiant,  
 curate ea celebrari, voce non elata, non  
 pulsatis campanis, & aliis, qui Crucigeri  
 non sunt, exclusis.* Tum Papa sacris  
 commilitonibus frugalitatem ad men-  
 sam & modestiam in vestitu commen-  
 dat. Episcopos jubet, Ludos Equestres  
 ad quinquennium prohibere, addita poe-  
 na excommunicationis & interdicti.  
 Tandem Mandatarios, qui in hac Bulla  
 præscripta exequantur, Episcopos Pari-  
 siensem & Sueffionensem, ac Abbates  
 de Valle Sernacensi & S. Victoris no-  
 minat.

Francia Interdicto octo menses sum-  
 mo rigore ligata fuit. Clausæ erant Ec-  
 clesiarum fores, cadavera in terra jace-  
 bant insepulta. Non ubique tamen tam  
 prompta obedientia secuta est. Obe-  
 dientes se se exhibuerunt Canonici Se-  
 nonenses, atque etiam Episcopi Parisien-  
 sis, Silvanectensis, Sueffionensis, Ambia-  
 nensis, Attrebatensis pluresque alii. A-  
 liqui tergiversati sunt, quos inter fue-  
 runt



runt Archiepiscopus Remensis Regis <sup>Sæcul. XII.</sup>  
 Avunculus, Episcopi Laudunensis, No- <sup>A. C. 1200.</sup>  
 viomensis, Belvacensis, Teruanensis, Francia.  
 Meldensis, Carnotensis, Aurelianensis,  
 Antissiodorensis & pauci alii, qui omnes  
 nunciis Romam missis, excusationem  
 suam deferentibus, promittebant, ser-  
 vaturos se Interdicti Censuram, si post-  
 quam ipsos audivisset, Papa in sententia  
 persisteret. Papa cunctis, quæ affere-  
 bant, refutatis rejectisque, præcepit, ut  
 sicut ceteri Interdictum servarent, ipsis-  
 que obedientibus, hæc Censura in totam  
 Franciam extensa est.

Quare, cum Rex Philippus Ludovi- <sup>Rog. p. 802.</sup>  
 cum filium suum conjugio jungere vo-  
 luit, nuptias in ditionibus Regis Angliæ <sup>Rigor. p. 44.</sup>  
 celebrare compulsus est, in loco inter  
 Vernonem & Andelium sito. Nempe  
 hoc matrimonium conditionibus pacis  
 inter ambos Reges initæ appositum fue-  
 rat, duxitque Ludovicus Blancam, Joan- <sup>Nuptiæ.</sup>  
 nis Regis Angliæ neptem, videlicet ex  
 Eleonora ipsius sorore & Alphonso VIII.  
 Rege Castiliæ genitam, Elia Archiepisco-  
 po Burdegalensi, die Martis vigesima  
 tertia Maji, anno millesimo ducentesi-  
 mo novis sponsis Benedictionem imper-  
 tiente.

Ceterum Philippus Rex, acerrime <sup>Rig. p. 43.</sup>  
 offensus, quod Episcopi Interdicto se  
 subjecissent, eos ex Ecclesiis suis expulit,  
 Cano-



Sæcul. XII.

A.C. 1200.*Gest. Innoc.*  
p. 52.

Canonicos Cathedrales eorumque Clericos relegavit, eorumdem bona ærario suo addixit. Parochorum censibus occupatis, eos expulit. Tandemque Ingeburgem Reginam in arce Stampensi arctius inclusit. Populi tamen sui clamoribus commotus, missis ad Papam Clericis & viris nobiles, contra Legatum, Petrum Capuanum vehementer conquestus est, promittens, se Legatos suos nomine suo jurare jussurum, quod aliorum Nunciorum Apostolicorum aut Judicum delegatorum arbitrium subiturus esset. Respondit Papa, distinguendum esse alterum ab alio, an Rex subiecturus se esset sententiæ a Judice jam latae, vel tempore futuro ferendæ. Si iudicio primo obsequi vellet, & Rex repulsa Maria Ingeburgem in domum suam reciperet, se non solum ejus nomine jurantes admissurum, sed etiam sine juramento Interdictum soluturum, ea tamen conditione, ut Clerici spoliati in integrum restituerentur. Si autem Rex solum sententiæ futuræ vellet acquiescere, Papam eo pacto juramentum esse recepturum, si prius Ingeburgem affectu maritali revocasset.

Cum Philippus Rex, Legatis suis Roma redeuntibus, hoc Responsum percipisset, utrinque angustiis premebatur; moveri enim non poterat, ut Ingeburgem



gem acciperet, quam odio invicto aver-  
 sabatur, nec ut Mariam dimitteret, quam  
 tenerrime amabat. Quibusdam igitur  
 Episcopis & Principibus ad se vocatis,  
 quid sibi agendum esset, deliberavit.  
 Omnibus una voce respondentibus, Sa-  
 cræ Sedi obediendum esse, conversus ad  
 Archiepiscopum Remensem Avunculum  
 suum, *an verum est, inquit, quod Papa*  
*scribit, sententiam de divortio licito a*  
*te latam, fabulam fuisse ad adulandum*  
*mibi compositam?* idque Præsule nega-  
 re non auso, adjecit Rex: *O te insul-*  
*sum hominem! qui in re tanta contra*  
*mentem locutus es.* Rursus ad Papam  
 mittit Nuncios, suo nomine rogantes;  
 prius Interdictum tolleret, & deinde  
 causæ ipsius viscera cognosceret; sed  
 cum Innocentium nec precibus nec pro-  
 missis flectere posset, Judicio Pontificis  
 se submisit. Tum Papa Legatum in  
 Franciam misit Octavianum Cardinalem  
 Episcopum Ostiensem, cum mandatis;  
 primo curaret, Clericis & Ecclesiis satis-  
 fieri, ob damna & injurias illatas. Tum  
 ut Rex Mariam non solum a toro sed e-  
 tiam ab aula removeret, Ingeburgem  
 publice reciperet, & ut Reginam decet  
 haberet, postquam jurejurando se obli-  
 gasset, quod eam, nisi Judicium Ecclesiæ  
 intercederet, nunquam repulsurus esset.  
 His conditionibus Franciam ab Interdi-  
 cto

Sæcul. XII.  
 A.C. 1200.

n. 54.



Sæcul. XII. cto absolveret, reservata sibi potestate  
 A.C. 1200. illos castigandi, qui ab initio latam Cen-  
 suram non servassent.

Causa Inge-  
 burgis Re-  
 ginæ.

Si moveri non posset Rex ad Inge-  
 burgem recipiendam, sed matrimonii  
 hujus solutionem urgere mallet, Lega-  
 tus ad Actionem in Judicio inchoandam  
 sex mensium spatium præstitueret, quo  
 tempore Ingeburgis fratrem suum Re-  
 gem Daniæ monere posset; mittendos  
 sibi Causidicos, testes, aliaque documen-  
 ta necessaria. Papa Partibus consen-  
 tientibus Legato Octaviano socium de-  
 dit Joannem Cardinalem Presbyterum,  
 Titulo S. Priscæ, utrique injungens; ad-  
 jutores adsciscerent viros doctos & pios.  
 Ita se gererent, ut ne quidem suspicari  
 liceret, eorum integritatem ullo pacto  
 labefactari posse, & Ingeburgi Regina  
 plenam securitatem libertatemque præ-  
 starent.

Rog. p. 810.  
 to. II. Conc.  
 p. 20.

Octavianus prior in Franciam per-  
 venit, ubi a Rege & Optimatibus hono-  
 rifice exceptus, nihil antiquius habuit,  
 quam damna Ecclesiis & viris Ecclesia-  
 sticis illata resarcire. Exinde cum Inge-  
 burgem Nigellam Veromanduorum de-  
 duci jussisset, ibidem Legatus in Eccle-  
 sia S. Leodegarii Archiepiscopus, Episco-  
 pos & Clericos Franciæ in Vigilia Na-  
 tivitatis Beatæ Virginis, die septima Se-  
 ptembris anno millesimo ducentesimo  
 præsto



præsto esse voluit. Aderat & Maria Mo-  
 raviensis & ipse Rex, qui Legato præci-  
 piente Ingeburgem recepit, & manda-  
 tarios in animam suam jurare jussit, quod  
 eam cultu Regio habiturus, & ante Ec-  
 clesiæ sententiam non dimissurus esset.  
 Tunc vero Legatus sententiam Interdi-  
 cti, quod octo menses tenuerat, tollit,  
 pulsantur campanæ, populo maximam  
 lætitiā profitente.

Rex Mariam a se removit, sed e Re-  
 gno non dimisit, quod uterum ferret par-  
 tui proxima. Obiit ipsa anno sequente  
 millesimo ducentesimo primo, haud diu  
 post expletum puerperii tempus, ejusque  
 mortem divinæ vindictæ effectum multi  
 crediderunt.

Verumtamen Rex, quia a se ipso im-  
 petrare non poterat, ut Ingeburgem a-  
 maret, Legato exposuit, eam uxorem  
 suam legitimam esse non posse, ob affini-  
 tatem, quam intercedere ipse probare  
 vellet. Petiitque ut matrimonium nul-  
 lum promulgaretur. Itaque Legatus,  
 mandatis Pontificis obsequens, a die se-  
 ptima Septembris spatium sex hebdoma-  
 darum, sex dierum, & totidem horarum  
 ad dicendam causam statuit, locum ve-  
 ro, ab Ingeburge electum, urbem Sues-  
 sionem destinavit. Mox Legatus Octa-  
 vianus, datis literis, omnium, quæ in  
 Conventu Negellensi acta fuerant, Pon-  
 tifici

Sæcul. XII.  
 A. C. 1200.

3. ep. 10. 11.  
 12. 13.  
 ap. Rainold.  
 a. 1200. n. 12.

Hist. Ecclesiast. Tom. XVIII.

Pp

tifi



Sæcul. XII.  
A C. 1200.

tifici rationem reddidit. Præsules quoque Franciæ, qui interfuerunt, videlicet Archiepiscopus Remensis, Episcopi Suesionensis, Trecensis, Catalaunensis, Carnotensis & Parisiensis Papæ scripserunt. Pontifex vero, datis Epistolis, Reginam Ingeburgem & Canutum Regem Daniæ fratrem ejus ad causam suam strenue defendendam hortatus est.

§. XXVI.

*Constitutio ad Universitatem Parisiensem data.*

Eodem anno millesimo ducentesimo Lutetiæ Parisiorum inter Studiosos & cives funestæ rixæ natæ sunt, quarum hæc fuit occasio. Nobilis Germanus scientiis ibi vacabat, ex illis tribus unus, qui ad Episcopatum Leodiensem quorundam suffragiis cooptati fuerant. Quippe Episcopo, Alberto de Cuc in Festo Purificationis vita functo, anno millesimo ducentesimo, Hugo de Pierrepont, ejusdem Ecclesiæ Præpositus, successor electus est, sed non solus; unde, causa Romam delata, Electio Hugonis confirmata, & ipse a Guidone Cardinale Legato ordinatus. Inter hæc cum famulus alterius ex ejus æmulis Parisiis studiorum causa commorantis, popinam adiisset, vinum emturus, ejus amphora con-

*Rog. Hoved.*  
*p. 803.*  
*Ægyd. Aur.*  
*val. c. 96. 97.*

*Alberic. an.*  
1200.



confracta, & ipse verberibus excipitur. Sæcul. XII. A.C. 1200.  
 Illico advolant studiosi Germani & cau-  
 ponem graviter sauciant. Exoritur cla-  
 mor, tota turbatur civitas. Thomas  
 urbis præfectus cum populo armato &  
 ipse armis cinctus ædes studiosorum Ger-  
 manorum invasit, atque in illa dimica-  
 tione, qui Leodii electus fuerat, cum  
 quibusdam suorum cecidit.

Ergo scholarum Parisiensium Docto-  
 res ad Regem Philippum se conferunt,  
 querelas contra Thomam præfectum &  
 conscios exponentes. Rex Thomam a-  
 liosque, qui eum cum armis secuti fue-  
 rant, custodiæ tradi jubet. Ceteri fu-  
 gerunt, quorum domus Rex iratus di-  
 rui, vineas vastari, & arbores frugiferas  
 excidi voluit. Tum veritus, ne Stu- Duboulay  
 diosi, eorumque Magistri Parisiis indi- hist. univers.  
 gnantes aufugerent, Constitutionem e- to. 3. p. 2.  
 didit in hunc ferme modum; Thomas  
 præfectus, quia facinus sibi objectum ne-  
 gabat, in carcere Regio, quoad viveret,  
 hæreret, nisi publice Lutetiæ Parisiorum  
 probationem aquæ subire mallet. In  
 qua si succumberet, damnaretur, si sal-  
 vus evaderet, nunquam tamen exinde  
 cujuscunque urbis, aut ditionis, Regi  
 subjectæ, præfecturam obire posset, &  
 Lutetiæ nunquam pedem inferret. Ea-  
 dem poena de aliis captivis decreta, fu-  
 gitivi autem pro damnatis habiti. Præ-

les quo-  
 ridelicet  
 pi Sues-  
 sis, Car-  
 pferunt.  
 eginam  
 Daniz  
 strenue  
  
 Pari-  
  
 ntesimo  
 studios  
 quarum  
 rmanus  
 s unus,  
 n quo-  
 erant.  
 c in Fe-  
 no mil-  
 Pierre-  
 s, suc-  
 unde,  
 ugonis  
 dinale  
 um fa-  
 Parisiis  
 pinam  
 phora  
 con-





Sæcul. XII.  
A.C. 1200.

Conf. ord.  
to. I. p. 985.  
edit. 1636.

terea ut Studiosis præstaretur securitas, promisit Rex, se ab omnibus civibus Parisiensibus exacturum juramentum, quod si quemquam Laicum Studiose contumelia afficere conspicerent, hujus rei testes in judicio esse non detrectarent, nec oculos averterent, ne viderent. Statuitur etiam, ut si Studiosus verberetur, omnes Laici, qui id viderint, reum comprehensum præfectis Regis tradant, qui causa cognita sententiam edi jubebit.

Tum Rex illam Constitutionem sic prosequitur: *Prætor noster aliive Judices in Studiosum criminis reum minus non injiciant, aut si corripuerint, Judici Ecclesiastico reddant. Si causa sit gravis, Curia nostra cognoscat, quid de Studioso statutum fuerit. Nunquam vero, cujuscunque criminis accusetur, Scholæ Parisiensis Principem (is ille est, qui exinde Universitatis Rector dictus est) in custodiam rapi jubeat; sed si eum custodiri oporteat, ea cura Judicii Ecclesiastici ministris demandetur. Servos Studiosorum Laicos, qui nec cives sunt, nec perpetuum habent domicilium, nec de mercatu vivunt, non capiemus, nisi crimen evidenter pateat. Volumus, Canonicos Parisienses, eorumque pedisequos eodem privilegio gaudere. Prætor Parisiensis, munus subiturus, omnia hic memorata se servaturum juret.*

Hæc



Hæc Constitutio Bestiffi anno mille-  
 fimo ducentesimo data, omnium anti-  
 quissima est, ex qua Studioforum tan-  
 quam Clericorum a Jurisdictione sæcu-  
 lari exemptio probatur; atque etiam o-  
 rigo discriminis inter delictum commu-  
 ne & casum privilegiatum deprehendi-  
 tur.

## §. XXVII.

*Petrus Corboliensis, Archiepiscopus  
 Senonensis.*

Cum Octavianus Legatus in Francia  
 versaretur, in Sede Senonensi, post  
 obitum Michaelis Archiepiscopi, vige-  
 sima octava Novembris anno millesimo  
 centesimo nonagesimo nono defuncti,  
 vacante successorem eligi curavit. Ca-  
 pitulum Senonense una quidem voce  
 Hugonem Nocerensem, Episcopum An-  
 tistiodorensem, cooptavit, sed re ista Ro-  
 mam delata, noluit Papa postulationem  
 admittere, quod hic Præsul ex numero  
 illorum fuisset, qui Interdicto, in Fran-  
 cia a Petro Capuano Legato denunciato,  
 obedire detrectaverant, crediditque,  
 satis gratiæ ei concedi, si censuram su-  
 spensionis, cui per sententiam Legati sub-  
 jectus fuerat, tolleret. Ergo Octavia-  
 nus Legatus Canonicos Cathedrales Se-  
 nonenses ad novam electionem proce-  
 dere

Sæcul. XII.  
 A. C. 1200.

*Rigord. p. 43*

*Gall. Christ.  
 in Senon. c. 1.  
 extra de  
 postul. ex  
 lib. 5. ep. 18.*

*c. 2. de post.*

P p 3 dere



Sæcul. XII.  
A.C. 1200.

Albert. an.  
1200.

Auff. Aquicinct. p. 473.

Hist. Epis.

Ant. Chro. mon. Antiss.  
anno 1200.

anno 1200.

dere iussit, ac plerisque Episcopo Antiodorensi secundo suffragantibus, edixit, ipsos jure suo eligendi excidisse, idque ad alios, licet paucos, qui Petrum Corboliensem, Episcopum Cameracensem, elegerant, esse devolutum. Tum eum Archiepiscopatu Senonensi investivit, auctoritate Papæ, qui hanc Translationem confirmavit. Petro Corboliensi, Doctore celeberrimo, qui diu Parisiis Theologiam docuerat, Innocentius Papa, olim Magistro suo, Episcopatum Cameracensem sua auctoritate donaverat, anno millesimo centesimo nonagesimo nono; quia vero quiete hoc Beneficio frui non poterat, ad Papam rediit. Haud invidia caruit, ut non nulli Scriptores coævi memorant, hæc Institutio, utpote absoluta Papæ & Regis voluntate, Capitulo Cathedrali invito, peracta.

### §. XXVIII.

#### *Divisio animorum in Ordine Grandimontensi.*

Eodem anno millesimo ducentesimo S. Guilielmus super candelabrum Ecclesiæ Bituricensis positus est. Is ex stirpe nobili in Territorio Nivernensi ortus adhuc puer disciplinæ traditur cognati sui Guilielmi, Archidiaconi Suesionensis, cui vitæ austeritas nomen Eremiticæ

Patr. Bitur.

c. 68. to. 2.

Bibl. Lab.

vit. ap. Boll.

to. 1. 10.

Jan. p. 628.



micolæ peperit. Ille nepoti suo, literis Sæcul. XII.  
 instructo, Canonicatum in Ecclesia Pa- A.C. 1200.  
 risiensi & alterum in Sueffionensi con-  
 ferri curavit; sed Guilielmus junior, u-  
 bi ad maturam ætatem pervenit, relicto  
 mundo monachum in Ordine Grandi-  
 montensium induit. *Jac. Vitr.*  
 Indeque egressus, quod ei turbæ a Fratribus Laicis contra  
 Monachos excitatæ displicerent, & ad  
 Ordinem Cisterciensium transiens, Pon-  
 tiniaci Tyrocinium secundo sustinuit.  
 Edita ibi Professione, cum de virtute in  
 virtutem procederet, brevi Prior clau-  
 stralis, tum Abbas ad Joannis fontem, in  
 Diœcesi Senonensi, & tandem Abbas  
 Chaliacensis in Diœcesi Silvanectensi  
 fuit.

Ceterum rerum temporalium regi-  
 men turbarum causa inter Monachos  
 Grandimontenses & Fratres Conversos  
 exitit. In eo Ordine sapienter institu-  
 tum fuerat, ut Monachi soli Officio di-  
 vino & Exercitationibus spiritualibus  
 vacarent, cura Rei familiaris Fratribus  
 Laicis penitus relicta. Sed lapsu tem-  
 poris experti sunt Monachi, se hac ratio-  
 ne subiectos effici fratribus Laicis, quos  
 ipsi pro more omnium aliorum virorum  
 Religiosorum regere debuissent. Præ-  
 terea Fratres Laici Grandimontenses in  
 spiritualibus quoque dominari cupie-  
 bant; nam loco Missæ de Feria, jam



Sæcul. XII.  
A.C. 1200.

Missam de Beata Virgine, jam de Spiritu Sancto, aut pro defunctis sibi celebrari petebant, & pro negotiorum suorum modo Officium divinum nunc maturius nunc serius, ac Regula præscribebat, peragi poscebant. Ubi Monachi in Choro cantantes id obsequii denegabant, irascebantur, & non præbebant vitæ necessaria, quæ ipsi a nemine nisi de manibus Fratrum istorum Laicorum accipere poterant. Quin etiam hi Laici Monachos ingrati animi accusabant, objicientes, quod sibi solis maximus labor devorandus esset, dum Patres tranquille contemplationis dulcedine fruerentur.

Hæc jurgia usque ad aures Summi Pontificis pervenerunt; qui omnibus, quæ Pars utraque exponenda putavit, auditis, Fratribus Laicis præcepit; Monachos honorarent, in spiritualibus subditi essent, nec de Officio divino quidquam decernere præsumerent. Monachis contra injunxit; Fratres Laicos amarent, in spiritu lenitatis eos docerent, errantes sustinerent, & administrationem rerum extra Monasterium iis non adimerent. Rex Philippus Augustus, antequam ad Bellum sacrum proficisceretur, eos ad amicam transactionem ineundam permoverat, quæ nullius roboris fuit; sed lis ista diu tenuit, quod cognoscimus ex Epistolis compluribus Stephani Abba-



Abbatis S. Genovevæ & postea Episcopi Sæcul. XII.  
 Tornacensis, circa annum millesimum A. C. 1200.  
 centesimum nonagesimum primum da-  
 tis, in quibus totam culpam in fratres  
 Laicos Grandimontenses rejicit.

Quæ ex ista altercatione secuta sint, *Innoc. III.*  
 ex Regula Bullæ, ab Innocentio Papa *l. V. ep. 3.*  
 vigesima septima Februarii anno mille *XIV. ep. 144.*  
 simo ducentesimo secundo datæ, ex dua- *145. Raine.*  
 bus Epistolis anni millesimi ducentesimi *1219. n. ult.*  
 duodecimi, & alia Honorii Papæ anno  
 millesimo ducentesimo decimo nono  
 scripta dispicimus.

## §. XXIX.

S. Guilielmus Archiepiscopus Bi-  
 turicensis.

Henrico Sulliacensi, Archiepiscopo Bi-  
 turicensi, undecima die Septembris  
 anno millesimo centesimo nonagesimo  
 nono fati functo, cum Canonici Capi-  
 tulares ad eligendum successorem con-  
 gregati essent, & de Persona non con-  
 sentirent, statuerunt accersere Odonem,  
 Episcopum Parisiensem, mortui Archie-  
 piscopi fratrem, & quondam ex gremio  
 Ecclesiæ suæ ad illam Sedem evocatum,  
 ut ipsos consilio adjuvaret. Postquam  
 Odo Biturigas pervenit, & diu omnes  
 deliberassent, visum est, Archiepiscopum  
 ex Ordine Cisterciensi eligere, tresque

Pp 5

Abba-



Sæcul. XII. Abbates nominati, quos inter erat Guilielmus Chaliacensis; Episcopi autem Parisiensis arbitrio relictum, quis ex his tribus esset præferendus. Ipse, rein alterum diem dilata, ubi illuxit, ad Ecclesiam Deiparæ *de Sales* se contulit, Missam celebraturus, & mappæ lineæ Altaris schedulas tres, sigillo clausas, quibus erant trium Abbatum nomina inscripta, subjecit. Episcopo aderant viri duo virtutibus & scientiis clarissimi, quorum alter exinde Archiepiscopatum Turonensem consecutus est, alter Insula Episcopali Meldensi ornatus. Missa completa, cum ipsis prosternitur, orat Dominum Deum, ut indicaret, quem elegisset; tum ex Altari de tribus unam schedulam accipit, aperit, & nomen Guilielmi Abbatis legit. Quod Odonemini nisi duobus viris præsentibus patefecit; sed ecce! Canonici Cathedralis, qui interim convenerant, missis ad eum Nunciis Guilielmum Abbatem sibi Archiepiscopum dari enixe deposcunt. Episcopus Parisiensis, vehementi motu in admirationem raptus, electum esse Guilielmum maximæ populi frequentia promulgavit.

Ita Guilielmus Abbas Chaliacensis in Cathedram Archiepiscopalem Bituricensis in Festo S. Clementis die vigesima tertia Novembris anno millesimo

cen-



centesimo nonagesimo nono evectus Sæcul. XII.  
est (\*). A.C. 1200.

Id primo ad Guilielmi aures fama publica detulit, doluitque vehementer; nam timebat, ne tam sublimis Ecclesiæ regimen suscipere, & dilectæ solitudinis quieti valedicere cogeretur. Hinc Nunciis Bituricensibus advenientibus, ac rogantibus, ut consentiret, humili mente respondit, se haud esse sui ipsius arbitrum, sed secundum Ordinis Cisterciensis constitutiones a Præpositi sui voluntate pendere. Sed ecce, contra quam sperabat, redditur ei Abbatis Cisterciensis Epistola, qua voluntati divinæ, se vocanti, non repugnare jubebatur. Accessit mandatum Sacræ Sedis Legati, Petri Capuani, qui tunc in Francia commorabatur. Ergo Capitulum Cathedrale, ad consecrandum electum Præsulem, Eliam vocat, Archiepiscopum Burdegalensem, qui illico Biturigas se contulit. Adfuere etiam Episcopi Suffraganei, atque inter illos Episcopus Claromontanus, qui jus sibi esse ordinandi Metropolitam suam affirmabat. Sed

(\*) Factum Odonis Episcopi Parisiensis, tres schedas, quibus tria nomina Eligendorum inscripta, Mappa Altaris subjicientis, nihil a peccato, quod Tentatio Dei vocatur, nisi simplicitas & bona fides excusare posse videtur.



Sæcul. XII.  
A. C. 1200.

Sed productæ sunt antiquæ tabulæ, quæ istud privilegium Archiepiscopo Burdegalensi asserebant. Tum Guilielmus, ab Elia consecratus, annos exinde novem Sedem Bituricensem tenuit. Ab elæ carniū abstinuit, aliosque mores, quibus Monachi vivunt, servavit, quantum in eminenti Dignitatis Ecclesiasticæ gradu positus fuit.

## §. XXX.

*Ecclesia Anglicana.*

Rog. p. 804. Eustachius Abbas *de Flaix*, seu S. Germeri, in Diocesi Belvacensi, ex sociis Fulconis Neviliacensis, hoc anno millesimo ducentesimo ex Normannia in Angliam trajecit, in eo Regno Prædicationis munere functurus. Complura ab eo patrata miracula fama vulgavit. Multos ad usuras debitoribus suis condonandas, & votum de itinere Hierosolymam suscipiendo edendum permovit. Londini & in pluribus locis nundinas die Dominica celebrari prohibuit, instituitque, ut in illis Ecclesiis, quarum census ad id sufficerent, ante S. Sacramentum lampas perpetuo arderet, aut aliud lumen conservaretur. Apud multos cives quoque & alios suo hortatu effecit, ut quotidie in mensa prandentium vel cœnantium catinus poneretur, in quem ciborum partem pro pauperibus dividerent.



pauperibus conferrent. Nihilominus Sæcul. XII.  
 cum non nulli Angliæ Præsules Eusta- A.C. 1200.  
 chio subirascerentur, conquerentes, quod  
 non vocatus prædicaret, ne displiceret  
 Episcopis, in Normanniam denuo navi-  
 gavit.

Eodem anno Hubertus Archiepi- *Rog. p. 806.*  
 scopus Cantuariensis Concilium Gene-  
 rale totius Angliæ, id frustra prohibente  
 Godefrido, Comite Exoniensi, summo  
 Justitiæ in Regno præfecto, celebravit.  
 In eo Decretum, quod quatuordecim  
 Canones, ex Concilio Lateranensi sub A-  
 lexandro III. anni millesimi centesimi  
 septuagesimi noni maximam partem ex-  
 cerptos, complectitur, editum est. Sunt  
 vero hujusmodi: Non liceat Presbytero *to. II. Conc.*  
 bis in die celebrare, nisi necessitate ur- *p. 13.*  
 gente, & tunc nullam ablutionem in-  
 fundat calici, & ablutionem digitorum  
 servet, post secundam Missam sumen-  
 dam. Evcharistia ad ægros in pixide *Sup. Lib.*  
 munda & honesta deferatur, linteo ni- *LXXIII.*  
 tido superposito, ministro Crucem & lu- *S. 2.*  
 men præferente.

Baptisma, si dubitetur, conferatur, *c. 2.*  
 quia non dicitur iteratum quod non sci-  
 tur fuisse collatum. Ideoque baptizen- *c. 3.*  
 tur pueri expositi, sive appposito sale, si-  
 ve sine sale inveniantur.

Hic nulla de Baptismo sub conditio- *c. 9.*  
 ne mentio. Decimæ occasione merce-  
 dis



Sæcul. XII.  
A.C. 1200.

dis fervientium vel messorum non minuantur. De terris noviter excultis decimæ solis Ecclesiæ parochialibus dentur.

## §. XXXI.

*S. Hugonis Lincolnienfis extrema.*

vit. c. 22.

ap. Sur. 17.

Nov.

Sanctus Hugo Lincolnienfis in Normanniam venerat, ubi pacis conciliator inter Regem Philippum & Regem Joannem extitit. Cum deinde ad quamdam Domum Cartusensium divertisset, & illi, res novas sciendi cupiditate victi, quærivissent, quibus conditionibus pax inita fuisset, ingemiscens respondit: *Quamvis Episcopis liceat nova audire & referre, id tamen Monachis non licet.* Ex hac profectioe redux Hugo Londini quartana laborans decubuit, monentibusque amicis, ut Testamentum conderet, *mos iste, inquit, etsi ubique locorum in Ecclesia vigeat, mibi non probatur.* *Nunquam aliquid habui vel habeo, quod non ad Ecclesiam, cujus cura mibi commissa est, pertineat. Nihilominus, quia timeo ne arario Regis præfecti sibi hæc vindicent, cuncta quæ possideo, dentur pauperibus.* Rex Joannes ad Hugonem invisens ejus Testamentum confirmavit, promisitque coram Deo, quod in posterum ultima mandata Prælatorum sua auctoritate muniturus esset.

c. 28.

Rog. p. 811.

S. Epi-



S. Episcopus exinde nulla amplius  
 re quam oratione occupatus Infirmorum  
 oleo ungi petiit, idque obsequium in  
 Festo S. Matthæi die vigesima prima Se-  
 ptembris, qua olim Episcopus consecra-  
 tus fuerat, recepit. Duos tamen adhuc  
 menses superstes iussit, se post mortem  
 Lincolniam deferri, & in Ecclesia sua  
 Cathedrali sepeliri. Obiit igitur Lon-  
 dini, die decima sexta Novembris, an-  
 no millesimo ducentesimo, Episcopus  
 quindecim, & sexaginta annorum homo.  
 Ceteris ejus virtutibus adnumeratur  
 sollicitudo, qua Horas Canonicas præ-  
 stituto semper tempore recitabat, nec  
 unquam maturius eas persolvebat aut  
 differebat. Quippe maximi etiam mo-  
 menti negotia pertractans, aliis sæpe ad  
 consultandum exeuntibus, ipse ut pri-  
 mum hora monuerat ad orandum sece-  
 debat, cum apud Cartusienses officium  
 divinum omnibus aliis rebus antepone-  
 re didicisset.

Sæcul. XII.  
 A.C. 1200.

c. 29.

c. 22.

c. 31.

Rog. p. 811.  
 812.

Per quinque dies, quibus S. Hugo-  
 nis exequiæ Lincolniam usque ducebantur,  
 ingens concursus populi fuit, & ro-  
 bustissimi humeros deferendo corpori  
 certatim subjiciebant. Ubi Lincolniam  
 perventum, fors tulit, ut ibi maxima E-  
 piscoporum & Optimatum frequentia  
 versaretur, cum illis diebus Guilielmus  
 Rex Scotiæ Joanni Regi Angliæ Homa-  
 gium







daturum esse, quod jurejurando obligasset se Regi Franciæ, nullum se auxilii genus Ottoni concessurum. Otto querelas ad Innocentium detulit, qui, datis litteris, Regem Angliæ monuit; pecuniam, Nepoti suo vi testamenti, a Rege Richardo conditi, debitam sponte restitueret, nisi mallet eam auctoritate Ecclesiæ a se extorqueri. Simul etiam Papa datis ad Octavianum Episcopum Ostiensem, suum in Francia Legatum, literis mandavit; si Philippus & Joannes Reges qualicumque demum pacto, contra Justitiam pugnante, sese illigassent, eos absolvere non dubitaret. Ipse Papa deinde Regi Joanni scripsit; hoc juramentum servari non debere.

Ex biennio, quo Germania ob duos Principes, Imperium ambientes, Philippum Suevum & Ottonem Saxonem dividebatur, Papa necdum Partium uni se se addixerat, licet ejus animum tum duo Principes æmuli, tum Principes Germaniæ tam Ecclesiastici quam sæculares, prout quisque affectus erat, tum etiam ambo Reges Franciæ & Angliæ vehementer sollicitarent. Hoc autem anno Innocentius studium, quo in Ottonem ferebatur, prodidit. Inter Decretales vero, quas in hac causa scripsit, non aliæ memoratu magis dignæ sunt, quam Responso duo, alterum ad Legatos Philippi

Sæcul. XII.  
A. C. 1200.

*de Negot.  
Imp. ep. 28.*

*ep. 25. 60.*

*n. 46. p. 84.*

*Sup. Lib.  
LXXIV.  
§. 62.*

*Hist. Eccles. Tom. XVIII.*

Qq lippi



Sæcul. XII. lippi Suevi, alterum ad Quæstionem de  
A. C. 1200. finiendam, in publico Consistorio datum

*De Neg. I.  
ep. 18. coll.  
1. Decret.  
tit. 2.*

In primo ostendit Papa, ex pluribus Scri-  
pturæ locis, quantum supra Regnume-  
mineat sacerdotium. Sed potestatem  
sæcularem a spirituali non distinguit.  
Imo sacerdotio potestatem sæcularem  
tribuit, cum dicit: *Potestas data est Prin-  
cipibus in terra & solum in corpora, sed  
sacerdotibus in ipso Cælo & in ipsas ani-  
mas commissa est.* Unde eruitur, quod  
præter potestatem sæcularem, quam ha-  
bent cum Principibus communem, et-  
iam spirituali præditi sint. Et infra:  
*Cuilibet Regi Regnum suum est, verum  
sublimior auctoritas Petri in omnia ex-  
tenditur, tanquam Vicarii illius, cui  
mundus & omnes habitantes in eo sub-  
duntur.* Et iterum: *In populo Judaico  
sacerdotium Ordinatione divina institu-  
tum fuit, Regnum vero ab hominibus ex-  
tortum. Hinc scisma in Regno non au-  
tem in sacerdotio prævaluit.* Finem  
sermonis facit dicens; in ista Quæ-  
stione jam pridem adeundam fuisse Sa-  
cram Sedem, cujus in causa præci-  
pua esset & decretoria auctoritas; præ-  
cipua quidem, quia ejusdem Sedis pot-  
estas Imperium Orientis in Occiden-  
tem transtulisset, & Decretoria, quia ab  
ea corona Imperii accipitur. Hic di-  
spicimus fructum principiorum antea  
inaudi-



inauditorum, quorum Gregorius VII. Sæcul. XII.  
A.C. 1200.  
auctor fuit.

In Responso, quo Papa causam definit, dicit; tres Reges fuisse electos, Fridericum puerum, Philippum, & Ottonem, ac tria in cujuslibet electione esse considerata, nempe quid liceat, quid deceat, quid expediat. Tum singula tria ep. 26. capita bis pertractat, ad adjuncta ad singulos Electos refert, semel argumenta pro ipsis afferens & deinde diluens; unde multæ sermonis Divisiones & Subdivisiones ex natura stili scholastici in illo ævo nascuntur. Summa autem orationis hæc est: Electionem Friderici nullam agnosci ob defectum in persona; puerum enim esse biennem, necdum baptizatum. At Imperium per Vicarium Innocentii  
Papæ Epi-  
stolæ. regi non posse, atque Ecclesiam Imperatore indigere, qui eam defenderet. Ceterum cum Fridericus jam tunc Rex Siciliae esset salutatus, si etiam Imperium consequeretur, timendum, ne, tam ampla provincia Germaniæ juncta, aliquando homagium Ecclesiæ jurare detrectaret. De Philippo Sueviæ dicebat Pontifex: *Quamvis a majore Principum Imperii parte nominatus sit, ejus tamen electio nullius est firmitatis, utpote a Cælestino Papa excommunicati, quod Patrimonium S. Petri armis invaserit; id enim ipse fassus est, cum absolutio-*

Qq 2 *nem*



Sæcul. XII. *nem petiit, eamque post electionem suam*  
 A.C. 1200. *ab Episcopo Sutrinensi obtinuit. Præ-*  
*terea si Imperatori Henrico fratri suo*  
*proximus succederet, Imperium jure*  
*hæreditatis non electionis adiri posse*  
*videretur. Quæ res malum posteris*  
*exemplum suppeditaret. Denique si*  
*Philippum Imperatorem accipimus, quid*  
*aliud agimus, nisi quod huic stirpi Sue-*  
*vicæ nova arma suggerimus, contra Ec-*  
*clesiam, quam jam diu atrociter perse-*  
*quitur. Memori mente repositum est*  
*exemplum Henrici V. qui, capto Pa-*  
*schale II. Summo Pontifice, Decretum*  
*illud de Investituris extorsit, Frideri-*  
*ci I. qui schisma contra Alexandrum III.*  
*excitatum tam diu pertinaciter aluit,*  
*Henrici VI. ejus filii & ipsius Philippi,*  
*cujus nunc causa movetur, qui bo-*  
*dieque Ecclesiæ Romanæ per Marcual-*  
*dum & Diopoldum Duces suos arma*  
*infert.*

Sup. Lib.  
 LXVI §.3.  
 Lib. LXX.  
 §. 40.  
 LXXIV.  
 §. 29.

In hoc loco Pontifex probare conatur ex Scriptura, quod peccata parentum in filiis eos imitantibus punire liceat.

De Ottone Saxonie loquens Papa non diu moratur in argumentis, quæ ipsi objici poterant, nimirum in parvo numero suffragantium, eorumque infirmitate. Sed laudat ipsius in Ecclesiam Romanam propensionem, & merita Majorum



jorum non solum ex genere materno, Sæcul. XII.  
 nempe Regum Angliæ, sed etiam pater- A.C. 1200.  
 no, Ducum Saxonix, præcipue Lotha-  
 rii II. Imperatoris in Apulia, cum pro  
 Ecclesia militaret, fatis functi. Pro Ot-  
 tone igitur pronunciat sententiam;  
 hunc Regem esse appellandum, hunc ad  
 accipiendam coronam Imperii esse vo-  
 candum.

Sup. Lib.  
 LXVIII.  
 §. 42.

Ut huic Decreto vim adderet Inno-  
 centius, ad Archiepiscopum Colonien-  
 sem, ejus Suffraganeos & illius provin-  
 ciæ Principes Epistolam dedit, in qua  
 dicit; postquam diu expectasset, exper-  
 turus, an Principes Imperii de eligendo  
 Imperatore consentirent, ipsisque consi-  
 lium suggestisset, se tandem animo con-  
 stituisset, in Germaniam Episcopum Præ-  
 nestinum cum potestate Legati, ac Phi-  
 lippum Notarium, mittere. Tum sub-  
 jungit: *Octaviano quoque Episcopo O-*  
*stiensis Legato nostro præcepimus, ut si*  
*negotiis, quæ in Francia tractat, ex-*  
*pedire se possit, cum paulo ante memo-*  
*ratis ad vos divertat, sicque vestra con-*  
*silia intelligat, & nostram voluntatem*  
*vobis exponat. Quare, si vos hi Le-*  
*gati vel aliquis eorum ad se accersive-*  
*rint, ad eos mora nulla interjecta vos*  
*conferte.* Hæc Epistola quinta die Ja-  
 nuarii anno millesimo ducentesimo pri-  
 mo data est. Similes literæ ad Provin-

De neg. Imp.  
 ep. 30.

Otto IV.  
 Imperator.



Sæcul. XII. A. C. 1200. cias Moguntinam, Salisburgensem, Bre-  
mensensem & Trevirensensem missæ.

*Manuscript.*  
*ap. Serrar.*  
*Mog.*

*Sup. lib.*  
*LXX. §. 55.*

*Annal.*  
*Godef. p. 267*

*Abbas Ursp.*  
*p. 309.*  
*edit. 1569.*

Epistola Innocentii Moguntiam data non Archiepiscopo sed Capitulo Cathedrali inscripta est; Sedes enim vacabat post obitum Conradi Cardinalis, Episcopi Sabinensis, qui in Vigilia S. Simonis die vigesima septima Octobris anno millesimo ducentesimo e vivis abierat, postquam in Cathedra Moguntina annos a prima possessione omnino quadraginta sedisset. Obdormivit vero Passavii, ex Hungaria rediens, quo pacis conciliandæ causa profectus fuerat, ejusque corpus Moguntiam translatum. In Electione successoris schisma exortum; nam plerique, ut Regi Philippo Suevo obsequerentur, Liupoldo Episcopo Wormatiensi suffragati sunt, alii vero Siffridum seu Sigefridum ad S. Petrum Moguntia Præpositum elegerunt. Ac obtinentes quod in urbe plena libertate non gauderent, Bingam diverterunt, ubi peractam electionem confirmarunt. At cum Liupoldus eum armatis illac delatus eos expulisset, Sigefridus ad Ottonem Regem confugit, qui amice exceptum Investitura donavit, ac Liupoldo e Binga urbe vi militari ejecto, Sigefridum reduxit.

Inde, post superiorem Epistolam datam tribus ferme mensibus consumtis,  
Inno



Innocentius Papa, nempe prima die Mar- Sæcul. XIII.  
 tii anno millesimo ducentesimo primo A. C. 1201.

Ottoni Regi aliam scripsit, cujus Epilo-  
 gus hujusmodi est: *Dei Omnipotentis*  
*Auctoritate, quæ nobis in persona S. Pe-*  
*tri data est, Regem te recipimus, ju-*  
*bemusque, omnes tibi ut Regi honorem*  
*& obedientiam præstare.* Tum, post  
 aliqua præmitti solita, sequuntur verba:  
*Solemni ritu tibi coronam Imperii da-*  
*bitus.* Simul etiam ad Germaniæ Prin-  
 cipes tam Ecclesiasticos quam sæculares  
 dedit Epistolam, in qua, postquam ar-  
 gumenta exposuit, quibus ad favendum  
 Ottoni permotus fuisset, præcipit, ut  
 eum tanquam Regem Romanorum &  
 Imperatorem electum honorent, atque  
 eidem obediant. Quod autem spectat  
 ad jusjurandum forte contrarium, quo  
 se cuiquam alii obstrinxissent, promittit,  
 se & ipsorum famæ & conscientiæ esse  
 consulturum.

*ep. 32.*

*ep. 33.*

§. XXXIII.

*Quæ in causa Ingeburgis se-*  
*cuta sint.*

In Francia, elapsis sex mensibus, ab O- to. II. Conc.  
 ctaviano Legato ad causam matrimo- p. 22.  
 nii Philippi Regis cum Ingeburge Prin-  
 cipe Daniæ definiendam præstitutis,  
 Concilium Sueffione in medio Quadra-  
 gesimæ

Qq 4

gesimæ



Sæcul. XIII  
A. C. 1201.

Rigord. p. 44

Rog. p. 813.

Auct. Aquicinct.

Gest. Innoc. n. 55.

gesimæ seu mensis Martii, in cujus diem vigesimam quintam hoc anno millesimo ducentesimo primo Festum Paschæ incidebat, celebratum. Adfuit Rex cum Regni sui Episcopis & Principibus, atque etiam Regina Ingeburgis, quam non nulli Episcopi ac viri spectabiles, ab ejus fratre, Canuto Rege Daniæ, missi, commitabantur. Impetierunt a Rege securitatem, ut pro Reginæ causa dicere possent, tumque ad sua reverti. Quod cum ipsis fuisset promissum, de causa agi cœptum, postulavitque Rex, inter se & sponsam suam divortium fieri, affirmans, tam arcta ambos affinitate junctos, ut sibi cum ea commercio conjugali vacare non liceret. Responderunt Dani: *Scimus, Legatos tuos in conspectum Regis, Domini nostri, deductos, exposuisse, quam ardenti desiderio captus egregiam de stirpe regia puellam, sororem ejus, in uxorem tibi accipere cuperes. Impetrato consensu, Legati in animas suas & in animam tuam jurant, quod Regiam Principem, ut primum Ditiones tuas attingeret, ducturus esses, solemnî ritu coronari jussurus, ac, quoad ambobus luce frui daretur, tanquam uxorem & Reginam habiturus. Id ipsum pollicitus es Regi Daniæ, data Epistola, quæ in manibus nostris est; habemus etiam Epistolas*  
Opti.



Optimatum Regni tui, eodem iura. Sæcul. XIII.  
 mento se obligantium. Quia igitur A.C. 1201.  
 Reginae haud sane eum animum affectum-  
 que, quem ipsi promiserant, nec etiam  
 eum cultum exhibuisti, nos perjurii o-  
 mnes Optimates tuos accusamus, coram  
 Papa, ad quem etiam ab hoc Iudice, Do-  
 mino Octaviano, quod nobis suspectus sit,  
 cum dicat, se tibi sanguine propinquum,  
 & partium studio manifeste ducatur,  
 appellamus. Ingeburgis Regina adjecit,  
 se quoque ad Papam appellare.

Tunc vero Octavianus ad Legatos  
 Regis Daniæ: Expectate adventum Col-  
 legæ mei, Joannis Cardinalis S. Pauli,  
 propediem adfuturi, & quod ipse judi-  
 caverit, recipite. Sed Dani dicentes,  
 a se ad altiorem Judicem appellatum,  
 recesserunt. Vix triduum effluxerat,  
 cum Joannes de S. Paulo Sueffionem  
 pervenit. In eo, quondam Ordinis  
 S. Benedicti Monacho, spectatæ probi-  
 tatis, Papa maximam spem posuerat.  
 Ubi ad Regem admissus est, oblata do-  
 na repulit, sed mox alterum celebravit  
 Conventum. Pro Rege complures o-  
 ratores dicebant; nemo autem præsto  
 erat, qui causam Reginae tueretur, cum  
 ecce! quidam pauper Clericus in me-  
 dium procedens, cum licentia Regis &  
 Cardinalium, tam concinne, tam docte

Q 9 5.

pro



Sæcul. XIII.  
A. C. 1201.  
pro Regina peroravit, ut cunctos audientes in admirationem raperet. Jamque Joannes Cardinalis S. Pauli, quia nullum suppetebat argumentum, quod divortium suaderet, sententiam contra Regem ad confirmandum matrimonium pronunciaturus erat; sed Rex ab amicis monitus, accepta Ingeburge, nemine salutato, summo mane itineri se dedit, missisque ad Episcopos nunciis, significari jussit, credere se eam uxorem suam esse, nec petere separari. Cardinales & Episcopi obstupescens discedunt, sique solutum est Concilium. Ceterum Rex Ingeburgem, Arci Stampensi inclusam, vel ipsam inde exire, vel quoscunque, nisi raro, ad eam invisere vetuit. Alimenta autem congrua suppeditabat. Papa afflictam tum per literas tum per transmissos Nuncios consolabatur, datisque ad Regem frequentibus Epistolis hortabatur, ut Regiam Principem cultu, quo digna erat, prosequeretur.

## §. XXXIV.

*Ordo Vallis Scholasticorum.*

*Labbe bibl.*  
*to. 1. p. 391.*

Lutetiae Parisiorum quatuor celebres Theologiae Professores degebant, Guilielmus, Richardus, Eberhardus, & Manasses, viri non minus virtutibus quam doctrina clari. Quadam die, cum de



de præmiis & pœnis æternis colloque- Sæcul. XIII.  
 rentur, Guilielmus ait: *Propbetiam E. A.C. 1201.*  
*zechielis studiose legenti ter objecta est Alberic.*  
*mibi arbor procera, pulcherrima & ni-*  
*tidissima, cujus rami orbem terrarum*  
*ornare videbantur.* Mox ceteris tribus  
 sociis respondentibus, sibi quoque simi-  
 lis arboris speciem fuisse aliquoties obla-  
 tam, postquam de hac re cum aliis Do-  
 ctoribus deliberassent, vocari se ad in-  
 stituendum novum virorum Religioso-  
 rum Ordinem crediderunt. Ergo, cum  
 omnia relinquere, & in solitudine, quam  
 fors obtulisset, delitescere statuissent,  
 iter arripiunt anno millesimo ducentesi-  
 mo primo, & in finibus Campaniæ Bur-  
 gundiæque ad vallem profundam ac in-  
 cultam, præaltis rupibus clausam perve-  
 niunt, ibique aquæ fontem, quem nemo  
 hæctenus notaverat, conspiciunt.

Tum Guilielmum *de Joinville*, illa  
 tempestate Episcopum Lingonensem, &  
 postea Archiepiscopum Remensem, ad-  
 euntes rogant, ut ipsis partem illius Val-  
 lis, quia ad ditionem ipsius Ecclesiæ per-  
 tinebat, eleemosynæ loco concederet.  
 Qua licentia ab Episcopo impetrata, te-  
 nues Cellulas construxerunt, & Regulam  
 S. Augustini ad morem Monasterii S. Vi-  
 ctoris Parisiis servare cœperunt. Annis *Alberic. an.*  
 exinde quatuordecim Fridericus, Juris <sup>1215.</sup>  
 Canonici Doctor, & Archidiaconus *de*  
*Chalons*



Sæcul. XIII.  
A. C. 1201.

*Chalons*, ejusdem urbis Episcopus electus, rejecta Dignitate, quatuor his Doctoribus socium se adjunxit. Eodem anno millesimo ducentesimo decimo quinto mense Septembri, Episcopus Lingonensis novum Institutum confirmavit, obtinuitque, ut idem post triennium Honorius Papa ratum haberet. Primis quinque Doctoribus, antequam ultimum diem oppeterent, triginta septem Scholasticos hanc Regulam amplexos videndum datum est. Hæc fuit origo Congregationis Canonorum Regularium, quæ *de Valle Scholasticorum* dicta est.

## §. XXXV.

*Evraudus Hæreticus Niverni.*

zo. II. Cont.  
p. 24. ex  
Chron. Rob.  
Antiff.

Anno a partu Virginis millesimo ducentesimo primo Octavianus Legatus Concilium Parisiis celebravit, in causa viri Equestris, nomine Evraudi, quem Comes Nivernensis terræ suæ præfecerat. Erat vero in rebus Sæculi versutus admodum, & oppresso populo omnibus in-  
visus. Is igitur apud Legatum arguitur Hæresis Bulgarorum, ita enim Manichæi appellabantur, unde injuria nostræ lingue orta est tam infamis, ut nulla magis (\*). Legatus Evraudo diem præstituit,

(\*) Quid hic Fleurius dicere velit non satis liquet.



tuit, qua objecta publice dilueret, ac eum <sup>Sæcul. XIII.</sup>  
 in finem Concilium convocat Parisiis, <sup>A. C. 1201.</sup>  
 cui Archiepiscopi, Regni hujus Episcopi,  
 & Doctores Parisienses interfuerunt.  
 Siftitur Evraudus, prodeunt testes, com-  
 plura argumenta ex variis Scriptis ad-  
 ducuntur, maximeque Hugone Episco-  
 po Antisiodorensi contra eum insisten-  
 te, Hæreticus esse convincitur. Judicio  
 finito potestati sæculari traditur. Atta-  
 men prius Comiti Nivernensi redditus  
 est, ut ille administrationis rationem  
 exigere posset. Tum Nivernum redu-  
 ctus, spectante & lætitiâ profitente  
 populo, flammis exurit. Erat Evrau-  
 do nepos, Guilielmus nomine, Canoni-  
 cus Nivernensis, eadem Hæresi infectus,  
 qui intelligens, propinquo suo damnato,  
 se amplius latere non posse, ad provin-  
 ciam Narbonensem divertit, ubi Hære-  
 ticus carissimus maximoque honore cul-  
 tus fuit, tum quod excellens ingenium  
 a natura accepisset, tum quod scientias  
 se in Francia, id est, in omnium scientia-  
 rum purissimo fonte, hausisse jactaret.  
 Ceterum, mutato nomine, Theodoricus  
 dici volebat.

*Petr. Hist.  
Albig.*

§. XXXVI.

*Guido Paræus Colonia.*

Octavianus Legatus eodem anno Tre-  
 cas in Campaniam profectus est,  
 quo



Sæcul XIII.  
A.C. 1201.

*De negot.*

*ep. 51.*

*Ital. Sæc.*

*to. I. p. 230.*

quo etiam paulo post Episcopus Prænestinus, Papæ in Germania Legatus, se contulit. Is appellabatur Guido Paræus, natione Francus, olim Monachus & deinde Abbas Cisterciensis, ab Innocentio Papa Cardinalis Episcopus Prænestinus anno millesimo centesimo nonagesimo octavo creatus. Postquam accepta mandata Octaviano communicavit, ambo statuerunt; præmittendum esse Philippum Papæ Notarium & Ægydium ejus Acolythum, ut Regi Ottoni colloquerentur, ac ad convocandos Imperii Principes dies certus & locus præstituerentur. Hi duo Delegati Philippus & Ægydus Ottonis juramentum, quo se Pontifici devinciebat, Novesii in Diœcesi Coloniensi die octava Junii anno millesimo ducentesimo primo receperunt. Promittebat Otto Pontificis præsidium, ad patrimonium Ecclesiæ Romanæ, præsertim Siciliam conservandam.

*ep. 77.*

*Annal.  
Godesf. 1201.*

Guidonem S. Sedis Nuncium ad se venire rogatum Rex Otto Aquisgrani magno lætitiæ sensu excepit. Tum ambo Coloniæ divertentes, ad Festum S. Petri, videlicet sub finem mensis Julii, non nullos Principes ibi habuerunt, qui præfixa die advenerant. Sed ad aliquos mandata Legati non pervenerant, alii iis acceptis parere noluerant, alii ne ea ad se deferri possent, urbes & ædes clauferant,



ferant, ut Archiepiscopus Moguntinus Liupoldus, atque Episcopi Spirensis ac Wormatiensis, alii nuncios, ad se missos, suspensos strangulari jufferant. Ubi igitur Legatus Coloniae fuit, illis Principibus, qui praesto erant, convocatis, Papae Epistolas ostendit, quibus Ottonem Regem recipiebat, ejusque approbabat Electionem. Tum auctoritate Sacrae Sedis eundem Regem Romanorum publice promulgavit, omnes illos, qui obistere praesumerent, inprimis Philippum Sueviae ejusque Fautores excommunicans. Haec Declaratio omnium in eo Conventu praesentium applausu excepta est; atque Legatus, ut coronam in Ottonis fronte stabiliret, alium Conventum Corbejae in Saxonia celebrandum indixit. Guidonem Coloniae commorantem adiit Sigefridus, electus Archiepiscopus Moguntinus, quem Presbyterum ordinavit, & deinde consecravit Episcopum. Tumque Sigefridus, acceptis a Legato & ab Ottone Rege literis commendatitiis, Romam profectus est, ubi ei Papa, confirmata electione, Pallium concessit.

Præterea illo tempore, quo Coloniae versabatur, Guido Paræus Legatus præcepit, ut, cum in Missa Hostia elevatur, omnis populus in Ecclesia, audito crepitaculi strepitu, prosterneretur, Misericordiam

Sæcul. XIII.

A. C. 1201.

*Cesar. Mir.*  
*dist. IX. c. 51.*



Sæcul. XIII. cordiam Dei implorans, usque dum con-  
 A.C. 1201. secratio Calicis esset peracta. Rursus  
 ipse iussit, ut, cum Sacramentum ad in-  
 firmos deferretur, pulsator vel juvenis  
 Clericus Sacerdotem præcedens tintina-  
 bulum concuteret, quo populus in pla-  
 teis & in ædibus, Jesum Christum ado-  
 rare moneretur. Hæc utriusque pia  
 consuetudinis origo est.

*Chapoville*  
*to. 2. p. 199.*

Idem Guido Legatus, cum Leodii  
 versaretur, Constitutionem edidit a Ca-  
 nonicis servandam, præcipue ut eos e  
 monasteriis suis non egredi, sed Officiis  
 divinis assidue vacare compelleret. In-  
 ter alia statuit; Canonici extra Dormito-  
 rium commune sine licentia Decani nun-  
 quam dormiant. In Refectorio simul  
 omnes manducant. Beneficiis suis pri-  
 ventur Clerici, Ordinibus sacris insigni-  
 ti, qui post trinam admonitionem pellic-  
 ces, quas domi sustentant, non ejece-  
 rint. Hujusmodi autem mulieres ex-  
 pulsas quilibet utpote excommunica-  
 tionis fulmine tactas devitet. Omnes  
 libri, qui de Scriptura sacra agunt, vel  
 Francorum vel Germanorum lingua scri-  
 pti, tradantur Episcopis, qui eos illis,  
 quibus visum fuerit, reddent. Hæc Sta-  
 tuta anno millesimo ducentesimo secun-  
 do consentiente Episcopo Leodiensi, Hu-  
 gone de Pierrepont, & Capitulo, condi-  
 ta sunt.

§. XXXVII.



## §. XXXVIII.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1201.*Querelæ Germanorum ad Papam  
datæ.*

Principes Philippo Sueviæ addicti contra Legati acta querelas ad Papam <sup>de neg. Imp. ep. 61.</sup> detulerunt, data Epistola, cui nomina duorum Archiepiscoporum Magdeburgensis & Bremensis, Episcoporum undecim, trium Abbatum, Regis Bohemiæ, & aliorum duodecim Principum apposta leguntur. *Capere non valemus, inquit, quo fato Justitiæ perniciēs ex illo loco emergat, qui hucusque ejusdem firmissimum extitit præsidium, ex urbe Roma, ubi ex divino Instituto Religionis Caput invenitur (\*). Quare nec eo adduci*

(\*) Wollte Gott! es hätten die protestantischen Fürsten in Deutschland die Mäßigung und Besinnung dieser deutschen Fürsten, die zur Zeit der Spaltung zwischen den Kaisern Philipp und Otten gelebet, auch zu Luthers Zeit beybehalten! so würden sie einer Seits nichts von ihren Rechten vergeben haben, und anderer Seits bey dem Glauben ihrer Väter geblieben seyn; daß nämlich nur in der römischen Kirche das sichtbare Haupt der wahren Religion aus göttlicher Einsetzung zu finden sey. Weil ohne dieses Mittel keine allgemeine Kirchengemeinschaft, keine Einigkeit, keine Gewisheit in der Glaubenslehre bestehen kann.

*Hist. Eccles. Tom. XVIII. R r Wie*



Sæcul. XIII. *adduci possumus, ut credamus, Episcopus*  
 A. C. 1201. *pum Prænestinum, qui Legatum tuum se*  
 jactat,

Wir lesen in den öffentlichen historischen Nachrichten dieses Jahres 1762. daß Peter der Dritte, ein geborner Herzog von Holstein Gottorp, in der protestantischen Religion geboren und, nach dem Hintritte der Kayserinn Elisabeth Kayser in Rußland, durch eine plötzliche Staatsveränderung sey vom Throne verstorben, und Catharina die Zweyte, seine Ehegemahlinn, eine Prinzessin von Anhalt Zerbst, darauf erhoben worden. In dem Manifest dieser Prinzessin, womit sie den Anfang ihrer Regierung der Welt bekannt macht, wird erstlich als eine Hauptursache dieses so wichtigen Vorgangs angeführet, daß unter vorriger ob wohl sehr kurzen Regierung die Griechisch-Russische Religion in die äußerste Gefahr gerathen sey.

Nun ist hier, um den Unterschied der wahren römisch-katholischen und der protestantischen Religion recht einzusehen, nothwendig anzumerken, daß, als Peter der III. damals Herzog zu Holstein im Jahre 1742. die Griechische Religion in Rußland angenommen, niemand protestantischer Seits gesagt oder geschrieben habe; dieser Prinz sey darum aus ihrer Kirche excommuniciret, und ausgeschlossen, oder er sey aus der wahren Kirche ausgetreten, und habe sich zu einer irrgläubigen gewendet. Ja der Herzog selbst und seine Gewissensrätthe müssen doch gemeynet haben, es sey etwas zur Seligkeit Gleichgültiges Lutherisch oder



*jactat, tuo jussu & consensu Cardinalium egisse, quæ ad Electionem Regis*

Sæcul. XIII.  
A. C. 1201.

R r 2

Roma-

oder Ruffisch zu glauben. Es ist aber jedermann bekannt, wie ungemein weit die Lehre der Ruffischen Kirche von der Lehre der Protestantischen in Deutschland entsetzt sey. Wo ist also bey den Herren Protestanten die Gemeinschaft und Einigkeit ihrer Kirche? In der Römischen allgemeinen Kirche, wenn jemand in allen Theilen der Welt, er sey gleich ein König oder ein Bürger, sich zu einer andern Kirche wendet, so wird er ordentlich von der Gemeinschaft ausgeschlossen, und für keinen Rechtgläubigen mehr angesehen. So wird die Einigkeit erhalten. Es folget über dieses aus dem Mangel der Einigkeit in den Kirchen der Protestanten noch ein grössers Uebel, nämlich die Ungewisheit im Glauben. Wir wollen die Prüfung dieses Sazes durch die Begebenheit des verstossenen Ruffischen Kayfers beleuchten. Dieser Herr war gewiß nicht aufrichtig Griechisch-Ruffischer Religion, denn das ist die Ursache seines Falls. Er ist aber auch nicht aufrichtig Lutherisch, und noch weniger die protestantischen Stände und Rätthe im Hollsteinischen, die es diesem damal jungen Herrn gerathen, daß er vor Gott und der Welt mit einem Eide bekenne, er sey nun nicht mehr der Lutherischen Confession, sondern dem Griechischen Glauben zugehan; denn dieses Bekenntniß ist mit der Redlichkeit eines guten Christen und eines aufrichtigen Protestantens einmal nicht vereinbarlich.

Woraus

Episco-  
tuum se  
jactat,  
  
Rorischen  
eter de  
ein Got-  
eboren  
lisabeth  
Staats-  
und Ca-  
ne Prin-  
worden.  
omit sie  
bekannt  
e dieses  
ter wa-  
e Grie-  
Gefahr  
  
wahren  
a Re-  
merken,  
i Holl-  
gion in  
itischer  
Prin-  
et, und  
Kirche  
en ge-  
Gewiss-  
a, es  
berisch  
oder



Sæcul. XIII. Romanorum spectantia egit. Inaud-  
 A.C. 1201. tum est enim tantæ audaciæ exemplum  
 in quibus Annalibus legisti, Antecessores  
 tuos vel eorum Legatos se se in ne-  
 gotium Electionis Regis Romanorum,  
 sive ut Electores, sive ut Judices de  
 valore, intrusisse? Olim Papæ electio abs-  
 que Imperatoris auctoritate peragi non  
 poterat; sed Principum Pietas in gra-  
 tiam Ecclesiæ jure suo cessit, quod li-  
 quet ex Constitutione Henrici I. in hac  
 verba: Omnibus Legatis nostris distri-  
 cte prohibemus, ne, cum Papa eligendus  
 est, ullum impedimentum ponant. Cum  
 igitur Principes Laici, lenes & simplices,  
 jus suum acquisitum Ecclesiæ conde-  
 naverint, quis non obstupescat, si vi-  
 deat Pontifices, Jus quod nunquam ha-  
 buerunt, invadere?

Neutiquam perspicimus, quam perso-  
 nam Episcopus Prænestinus in hac causa  
 susti-

Woraus erhellet, daß solche Christen, die sich  
 nicht an den unbeweglichen Felsen der Römischen  
 Einigkeit halten, sich eine Zügellose Art von ih-  
 rer eigenen Religion zu gedenken angewöhnet  
 und sich endlich auf gar keine stützen. Solche  
 Beispiele sind von den protestantischen Fürsten  
 und Fürstinnen mehr, von den Katholischen we-  
 niger, welches der gerechte Gott auch inständig  
 abwenden wolle, keine in den Kirchengeschichten  
 anzutreffen.



sustinere potuerit. Si enim Elector esse Sæcul. XIII.  
 voluit, quare occasionem rem gerendi, A.C. 1201.  
 cum Judices abessent, arripuit? Quare  
 majorem & sua Dignitate spectabilio-  
 rem partem Principum præteriit &  
 contempsit? si Judicem agere voluit, nul-  
 lo jure id fecit, quandoquidem si in ele-  
 ctione Regis Romanorum suffragia divi-  
 duntur, nemini in orbe terrarum hujus  
 litis Judicium competit, sed solis Prin-  
 cipibus Electoribus Jus est, pacis mo-  
 dum & conditiones definire. Jesus Chri-  
 stus utriusque potestatis munera distin-  
 xit; nam qui Deo servit, non implicetur 2. Tim. II. 4.  
 negotiis sæcularibus, & qui Republicæ  
 præsumt, de rebus divinis non decernant.  
 Si Judicis munere te fungi affirmas, re-  
 spondemus tibi secundum regulam a te  
 ipso receptam, sententiam, una parte ab-  
 sente latam, nullius esse roboris. Itaque  
 tibi indicimus, nos communi consensu Se-  
 renissimo Domino Philippo suffragia no-  
 stra dedisse, ac Regem Romanorum ele-  
 gisse, sincere promittentem, quod tibi o-  
 bedientiam semper esset exhibiturus, &  
 Deo, tibi que filiali affectu & suo præsidio  
 addictus futurus. Hinc petimus, ut ei suo  
 tempore & loco, ut debes, coronam Im-  
 perii imponas.

S. Henrici Imperatoris Constitutio, ap. Baron.  
 quæ in hac Epistola citatur, Ecclesiæ Ro. an. 1014.  
 manæ novum Jus non concedit, cum to. 9. Conc.  
p. 813.

Rr 3

ver-



Sæcul XIII. verba omnia ex Constitutione Ottonis  
 A.C. 1201. exscripta sint, in qua pariter Legatis Im-  
 peratoris prohibetur, ne electioni Pon-  
 tificis quacunque ratione obstant. Sed  
 addendo hanc clausulam Imperatores  
 nihil minus intendunt, quam jus con-  
 fectum electionem abjicere; quod co-  
 gnoscimus ex Epistola S. Petri Damiani  
 annos centum post coronationem Otto-  
 nis scripta, in qua dicit; electo Papa  
 negotium suspendi oportere, dum vo-  
 luntas Regis exploretur. Gregorius ve-  
 ro VII. Papa, Jurium Ecclesiæ Romanæ  
 studiosissimus, consecrari noluit, prius-  
 quam de consensu Regis certior factus  
 fuisset.

## §. XXXVIII.

*Quæ jura sibi esse in Electione Imperatoris Papa affirmet.*

Innocentius Papa Principibus Germaniæ respondit, data proluxa Epistola, ex qua celebratissimum Capitulum Venerabilem in Decretalibus excerptum est. *Agnoscamus, inquit, jus eligendi Regem, Imperatorem futurum, Principibus esse, quibus ex antiqua consuetudine competit; idque eo libentius fatemur, quod hoc Jus a Sacra Sede acciperint, quæ in Persona Caroli Magni Romanum Imperium a Græcis transfusa*

*de neg. Imp.  
ep. 62.*

*Extra. de  
Elect. c. 34.*



in Germanos. Verum Principes fateri debent, & utique fatentur, potestatem nobis esse, illum examinandi, qui Rex electus fuerit, cum a nobis consecretur & Imperator coronetur; uniuersalis autem est Regula, Personæ examen illi competere, qui electo manus imponit. Porro si Principes, licet unanimi consensu, Sacrilegum, Excommunicatum, insanum, Hæreticum, Paganum eligerent, quis dicat, nos ad coronandum talem virum obligari? Hic Papa confundere videtur impositionem manuum in Sacramento, a substantia Sacerdotii inseparabilem, cum Regum Consecratione, quæ est nudus Ritus a Pipino Rege anno septingentesimo quinquagesimo secundo inuestus, & a qua supremorum Principum Potestas nulla ratione pendet. Contra vero Unctio Sacerdotalis conferebatur a Metropolitano, cui, tanquam Electionis Iudici, jus erat Electum examinandi. Ita Papa jus examinandi electum Imperatorem sibi tribuens, electionis Iudicem se constituit.

Tum Pontifex Epistolam suam prosequitur: *Ut igitur a Principibus objecta diluamus, asserimus, Legatum nostrum nec Electoris nec Iudicis personam in se suscepisse. Neminem elegit, aut eligi iussit. Neutrius electionem confirmavit, vel rejecit, si Electorum*

Rr 4

Acta

Sæcul. XIII.  
A.C. 1201.

Sup. Lib.  
XLIII. §. I.



Sæcul. XIII.

A. C. 1201.

Acta spectentur; sed solum Præconis officio functus est, cum Ducem Philippum Imperio indignum proclamavit, Ottonem autem Regem dignum denunciavit. Ut nihil de eo dicamus, quod complures ex Principibus, jus eligendi habentibus, de Ottone consenserint; Fatores autem Philippi eum ceteris assensibus & contemptis elegerint. Porro certissime constat, contentu unius Electoris magis vitiari electionem, quam quorundam dissensu. Ergo suo merito amiserunt jus eligendi, quo abusi sunt. Præterea Dux nec in eo loco, in quo debebat, nec ab Episcopo, cui id competebat, coronatus est. Rex vero Aquisgranis ab Archiepiscopo Coloniensi coronam accepit. Porro, quod uni Partium, si Principes in electionis causa dividantur, favere possimus, & Jure, & exemplo demonstramus. Quippe Ecclesia Romana Advocato & Defensore destitui non debet, nec filiorum jurgia nocere possunt Matri; scitis vero ex superiorum temporum commentariis, Papam, cum Principum animi in electione Lotbarii & Conradi discordia fuissent turbati, Lotbarium coronasse, eique Imperium asseruisse, ac Conradum in ejusdem amicitiam fuisse receptum.

Tum Innocentius Papa, sicut in superioribus literis, in querelis contra Ducem

Sup. Lib.  
LXVIII.  
§. 22.



cem Sueviæ diu moratur, & tandem Sæcul. XIII.  
Principes ad eum deferendum & Otto- A.C. 1201.  
nem recipiendum exhortans Epistolam  
claudit.

Rex Franciæ quoque Philippus que-  
rebatur, quod Innocentius Papa Otto-  
nem tueretur, infensissimum suum ini-  
micum, qui a Majoribus suis invetera-  
tum in gentem Francorum odium acce-  
pisset. *Hæc electio*, inquit in sua ad Pa-  
pam Epistola, *non nobis modo, sed omni-  
bus Regibus Catholicis ignominia cau-  
sa est, ideoque acquiescere non poterimus,  
nisi Regnum nostrum perditum  
velimus.* Ut deinde Papæ animum de-  
liniret, promittit, vades se daturum,  
quod Philippus Sueviæ nihil adversus  
Ecclesiam Romanam moliturus esset.  
Rex Franciæ hanc Epistolam Bonifacio  
Marchioni Montisferratensi deferendam  
commisit, Papam rogare jussu, ut sibi om-  
nia crederet, quæ præter Epistolam,  
viva voce Regis nomine adjecturus es-  
set. Papa dato ad Regem responso a-  
cta sua defendere conatur, & affirmat,  
satis fidem sibi ab Ottone datam, quod  
Franciæ nocere non vellet, & si vellet,  
in promptu esse auxilia, quibus prohibe-  
retur. Denique hortatur Regem; fœ-  
dera & amicitiam cum Ottone iniret,  
exponens, ita rebus propriis optime con-  
sulturum.

ep. 63.

ep. 64.

Rr 5 §. XXXIX.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1201.

§. XXXIX.

*Sacri Milites in Francia.*

*Sup. n. 13.* **M**archio Montisferratensis rogatus a Principibus Crucigeris, qui eum sibi Ducem delegerant, in Franciam venerat. Sed rerum series ab altiore principio nobis repetenda est. Postquam Comes Campaniæ & Comes Blesensis, ut memoravi, anno millesimo centesimo nonagesimo nono, sacrae militiae nomen dedissent, Balduinus quoque IX. Comes Flandriæ & Hannoniæ, Brugæ cum Comitissa Maria uxore sua, Comitissæ Campaniæ sorore, Henrico fratre suo, aliisque illius provinciæ Proceribus ad suscipiendam sacram professionem voto se adstrinxit. Ceterum ad hæc consilia a-nimum adjecerat Balduinus, quod pertimesceret offensum Regem Philippum Augustum, Dominum suum, nam violata fide, Regi debita, ejus hostibus auxilia præbuerat, & tunc Richardum Regem Angliæ amicum & defensorem suum amiserat. Præterea in Francia ad iter Hierosolymitanum Hugo Comes S. Pauli, Godefridus III. Comes Perchiæ, pluresque alii condixerunt, & postquam sæpius, hoc anno millesimo ducentesimo, Compendii deliberatum, Barones sex Mandatarios nominarunt, quibus liberam potestatem, viam eligendi, & omnia iter

*Villhard*  
*n. 7. &c.*  
*Et les Notes.*

*Guil Brit.*  
*VI. Philipp.*



iter facientibus necessaria comparandi, Sæcul. XIII.  
A. C. 1201.  
fecerunt.

Mandatarii Venetias petierunt, cum scirent, hunc portum in Græciam navigaturis opportunissimum, illucque in prima hebdomada Quadragesimæ, anno millesimo ducentesimo primo pervenerunt. Ibi a Duce Henrico Dandolo per amice excepti, cum ipso ejusque Senatu fœdera inierunt, in hunc modum: Veneti navigia varii generis piis peregrinantibus suppeditarent, quibus quatuor millia, quingenti Equites & totidem equi, novem millia Armigerorum, & viginti millia peditum, annonaque ad novem menses omnibus suffectura transveherentur. Præstitæ operæ mercedem octoginta quinque millia marcarum argenti acciperent. Hæc pacta a populo, in Oratorio S. Marci congregato, approbata Romam missa, ut ea Innocentius Papa confirmaret. Qui sapienti animo prospiciens, quæ evenire possent, respondit, se transactionem hanc ratam habiturum, ea conditione, ne milites sacri Christianis nocerent, nisi illi iter Crucigerorum nequiter impedirent, aut alia ratione ad arma ipsis inferenda proficiscentes compellerent. Et si hæc contingerent, Crucigeri tamen non ante invaderent Christianos, quam sacram Sedem consulissent. At Veneti pacta hoc modo

*Villhard.*

*n. 17.*

*Gest. Innoc.*

*n. 83.*



Sæcul. XIII. modo a Pontifice confirmari noluerunt.  
A.C. 1201.

*hist. n. 18.*

*Alberic. an.  
1201.*

Godefridus Villaharduinus, Mandatariorum ad Venetos princeps, Venetiis in Franciam reversus, Comitem Campaniæ, Dominum suum, Trevis morbo laborantem habuit, ex quo haud diu post circa Festum Pentecostes, hoc anno millesimo ducentesimo primo in diem decimam tertiam mensis Maji incidens, annos natus viginti quinque, extinctus est. Moriens jussit, pecuniam, quam ad suscipiendum iter in Palæstinam collegerat, nulli operi, quam huic Christianorum profectio, impendi. Ipso elato Principes Crucigeri sacrae militiae imperium obtulerunt Odoni IV. Duci Burgundiæ & Theobaldo Comiti Barroductensi; quibus onus recusantibus, missis nunciis, Bonifacium II. Marchionem Montisferratensem rogarunt, ut expeditioni Ducem se daret. Consensit ille, venit in Franciam, ac Sueffione plurimis Principibus congregatis de manibus Episcopi Sueffionensis, Fulconis Nevilliacensis, duorumque Ordinis Cisterciensis Abbatum, quos ex patria sua adduxerat, crucem accepit, quam ejus humero in Ecclesia Abbatiæ Dominæ Nostræ affixerunt. Ita imperium expeditionis auspiciatus, ad sua rediturus, ut omnia ad iter pararet necessaria, Cistercium diver-

tit,



tit, ubi mense Septembri ad S. Crucis Fe-  
stum Capitulum Generale celebrabatur. *A.C. 1201.*

Ibi quoque non nulli Optimates, atque  
inter alios Walterus II. Episcopus Au-  
gustodunensis sacrae militiae se addixe-  
runt. Fulco rebus mortalibus ereptus *Chro. Rob.*  
est mense Majo anno sequente millesi- *Antiff. an.*  
mo ducentesimo secundo, in parochia *1202.*  
sua Neviliacensi ad Matronam amnem, i-  
bique terrae mandatus.

§. XL.

*De servanda Dominica.*

Fulconis Discipulus Eustachius Abbas *Rog. Hoved.*  
Flexiensis\*, in Angliam anno mille- *p. 820.*  
simo ducentesimo primo revectus, per \* Flaix  
omnes urbes, ut anno superiore, praedi-  
care coepit, populosque vehementer  
hortari, ne mercatu diem Dominicam  
profanarent. Quamdā promulgabat  
Epistolam, quae de Caelo allata, Hiero-  
solymae super Altare inventa, atque a  
Patriarcha & quodam Archiepiscopo,  
nomine Acaria, accepta dicebatur. Hae  
scripta erat nomine Dei omnipotentis,  
cujus verba populum ad poenitentiam  
& inprimis ad servandam Dominicam  
exhortantis, & terribiles minas inten-  
dentis referebantur. Eustachius Abbas  
Eboracum venit, ubi a Godefrido Ar-  
chiepiscopo, a Clericis & illius civitatis  
populo honorifice exceptus, postquam  
pra-



Sæcul. XIII.

A. C. 1201.

prædicasset, populo pœnitentiam & ab-  
 solutionem dedit, quod diem Domini-  
 cam & Festa non servassent, ea tamen  
 conditione, si promitterent, se huic præ-  
 cepto in posterum sancte satisfacturos.  
 Statuebat autem feriandi tempus ab ho-  
 ra nona Sabbati usque ad ortum solis  
 die Lunæ, quo toto intervallo ab omni  
 opere servili ac etiam ab emtione & ven-  
 ditione abstinendum erat, exceptis pe-  
 regrinorum alimentis. Promiserunt  
 quoque Eboracenses, se de pretio om-  
 nium rerum, quas venundarent, ali-  
 quam partem in eleemosynam ad confer-  
 vandum luminare in Ecclesia & sepultu-  
 ram pauperum collaturos, ad quas obla-  
 tiones recipiendas in qualibet Ecclesia  
 Parochiali arcula posita est. At Regi  
 Angliæ & Proceribus hæc Abbatis Eusta-  
 chii instituta non probabantur, omnes-  
 que illos qui novum morem servabant,  
 & maxime, qui nundinas die Dominica  
 abrogaverant, ad Judices Regios citari  
 jusserunt. Erant, qui exempla refere-  
 bant illorum, quos sanctissimam diem  
 violantes non diu abhinc Deus variis  
 pœnis prodigiose affecisset; sed stetit Re-  
 gis auctoritas, atque nundinæ, ut mos  
 antiquus ferebat, celebratæ. Illa tem-  
 pestate non nulli Doctores in Anglia ver-  
 sabantur, prædicantes, mille annos, in  
 Apocalypsi prænunciatos, jam esse ela-  
 psos,

Rog. p. 818.



plos, jam Draconem solvendum, & Mundum inauditis calamitatibus opprimendum.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1201.

## §. XLI.

*Joachimi Abbatis extrema.*

Sub idem tempus fatis functus est in Calabria Joachimus Abbas, quem sua vaticinia celeberrimum effecerunt. Is annos natus ferme septuaginta duos, in *Pietra fitta* prope Cosentiam morbo correptus, animam reddidit, in medio circumstantium trium Abbatum & multorum monachorum, quibus commendavit, ut alter alterum diligeret, sicut Jesus Christus nos dilexisset. Idque sæpius repetiit. Obiit vero die trigesima Martii anno millesimo ducentesimo secundo, in Sabbato ante Dominicam Passionis, ejusque corpus ad suam Abbatiam Floræ delatum.

*Sup. Lib.*  
*LXXIV.*  
*§. 27.*

*vit ap. Boll.*  
*to. 18. p. 110.*

*c. 28.*

Plurima posteritati reliquit scripta, ex quibus sequentia typis edita sunt. Concordia Veteris & Novi Testamenti. In Isaiam, in Jeremiam & aliquot alios Prophetas Commentarii. Commentarius in Apocalypsin. Tractatus, cui Titulus, Psalterium decem chordarum, in quo factis accurate de Mysterio Trinitatis disserit. Sed non ita proprie de altissimo Mysterio loquebatur in Tractatu, qui interiiit, contra Petrum Lombardum; nam

*ibid. p. 92.*  
*n. 15.*

*v. Boll. p. 131*

*Inf. Lib.*  
*LXXXVII.*  
*§. 46.*

ia



Sæcul. XIII. in eo Petrum & Hæreticum & hominem  
 A. C. 1201. infanientem proclamat.

ap. Boll.  
 p. 135.

de virtut. c. 2  
 p. 152.

in 4. sent.  
 dist. 43. q. 1.  
 art. 3. ad 3.

Boll. init.  
 p. 89.

In Commentariis in Prophetas & in Apocalypsim Joachimus Abbas multa præfagia de Imperatoribus & Regibus Siciliae inferuit, iis, quæ deinde evenerunt satis consentanea. Sed sæpe more dubitantis loquitur, cum dicit: *Fortè id fiet, vel futurum videtur*, quæ magis hominis conjicientis sunt, quam Prophetæ, Deum dictis suis adspirare scientis. Hinc Guilielmus Episcopus Parisiensis, qui exinde post annos viginti scribebat, ubi de dono Intelligentiæ loquitur, ait: *Hoc donum quorundam intellectui tantam claritatem tribuit, eosque tam perspicaces efficit, ut a spiritu Prophetiæ vix abhorreat; quale Abbati Joachimo datum fuisse non nulli crediderunt, qui non spiritum Prophetiæ sed Intelligentiæ acceperat. Si quis ejus Libros de Apocalypsi & Concordia utriusque Testamenti pensaverit, singulare Intelligentiæ Donum in eo mirabitur.* S. Thomas Aquinas quoque dixit, Joachimum Abbatem quædam vera prædixisse, & in quibusdam fuisse allucinatam, quod non semper ex spiritu Prophetiæ, qui non fallitur, sed ex ingenii humani conjecturis, quod ad veritatem non semper penetrat, loqueretur. Ceterum Joachimus Abbas in Calabria Sanctis adscri-



scriptus honoratur, quamvis Ecclesia Ro- Sæcul. XIII.  
mana ejus cultum necdum solemniter A. C. 1201.  
ratum habuerit.

## §. XLII.

*Proles a Papa legitima pronun-  
ciatur.*

**M**aria Meraniæ defuncta duos liberos Sup. n. 24.  
reliquerat, ex Rege Philippo Au- Append.  
gusto genitos, Philippum & Mariam. Epist.  
Timens vero Rex, ne tanquam ex adul-  
terio nati contemnerentur, a Papa pe-  
tuit, ut legitimos declararet. Papa quod Inno. III. tr.  
rogabatur concessit, Bulla, die secunda p. 684.  
Novembris anno millesimo ducentesimo  
primo data, in qua dicit: *Sacra Sedes  
non nunquam gratiam dispensavit filiis  
illegitimis, etiam ex adulterio natis,  
quoad effectus spirituales, talesque etiam  
ad Episcopatum elevari indulgit, tunc  
maxime, cum id Principes excellentes pe-  
terent, qui neminem hominum, nisi Ro-  
manum Pontificem, sibi Præpositum con-  
stentur.* Argumenta deinde commē-  
morat, quæ sibi ab oratoribus Regis sue-  
rant exposita, & inter alia bonam fidem,  
quæ se Mariam duxisse affirmabat, post-  
quam ab Ingeburge ex sententia Archie-  
piscopi Remensis, quam æquitati & ju-  
stitiæ consentaneam credebatur, fuisset  
separatus.

*Hist. Eccles. Tom. XVIII.*

§ s Hæc



Sæcul. XIII.

A.C. 1202.

Hæc Bulla ad omnes Episcopos Francia dirigebatur eamque acceptare iubebantur. Atque occurrunt Epistolæ quatuordecim Episcoporum, qui mandata Pontificis non modo recipiunt, sed etiam excommunicationis fulmen iis minantur, qui contrarium affirmare, & duos Principes pro legitimis non habere auderent. Hi autem Præsules fuerunt Petrus Archiepiscopus Senonensis, Odo Episcopus Parisiensis, Garnerius Trecentensis, Ansealius Meldensis, Guilielmus Nivernensis, Hugo Aurelianensis, & Hugo Antiodorensis. Tum S. Guilielmus Archiepiscopus Burdegalensis, & Robertus Episcopus Claromontanus. Omnes istæ Epistolæ mense Januario anno millesimo ducentesimo primo, id est secundum nostrum numerandi modum anno millesimo ducentesimo secundo datæ sunt. Quinque alii Episcopi, scilicet Robertus Episcopus Laudunensis, Philippus Belvacensis, Stephanus Noviomensis, Lambertus Teruanensis & Himarus Sueffionensis, demum post annos octo, anno millesimo ducentesimo decimo, datis literis suis, consenserunt.

Haud multo post tempore, Guilielmus Dominus Montispeffulani, per Archiepiscopum Arelatensem Innocentium Papam rogari petiit, ut filios suos, dimissa uxore, ex amica susceptos, datis literis

effice



efficeret Legitimos, adducens exem- Sæcul. XIII.  
 plum; quod nuper Papa simile Benefi- A.C. 1202.  
 cium Regi Philippo Augusto exhibuis-  
 set. At Papa, dato responso, ingens di-  
 scrimen ostendit. *Regem enim, inquit, Lib. 5. epist.*  
*Archiepiscopus Remensis, sacrae Sedis Le- 128. C. Per*  
*gatus, ab Ingeburge Regina separavit; venerab. 13.*  
*tu vero uxorem tuam propria auctorita- extra. Qui*  
*te repudiasse diceris, nulla legitima cau- fil. sint Legit.*  
*sa, & aliam mulierem introduxisse, con- Prou. lib.*  
*temtis Constitutionibus Ecclesiae, cujus Gall. c. 7. n. 3.*  
*Censuris te implicuisti; unde haud super-*  
*est dubitandi locus, quin filii tui adulteri-*  
*ni sint. Præterea, quia Rex in tempo-*  
*ralibus Superiorem non agnoscit, sine al-*  
*terius injuria se in hac causa Jurisdi-*  
*ctioni nostrae submitit; etsi credere fas*  
*sit, ipsum sua potestate hanc dispensatio-*  
*nem non quidem tanquam patrem filiis,*  
*sed tanquam Principem subditis, concedere*  
*potuisse. Contra, tu Præpositos babes,*  
*quorum auctoritate illæsa forte non pos-*  
*ses, te in hac re Judicio nostro subicere.*  
*Tibi vero ipsi dispensandi potestas in hac*  
*causa non est. Hæc sunt argumenta, qui-*  
*bus eo adducti sumus, ut Regi hanc gra-*  
*tiam concederemus; cum persuasum no-*  
*bis babeamus, nos, si quædam adjuncta*  
*concurrant, Jurisdictione temporali uti*  
*posse, etiam in locis positis extra Eccle-*  
*sia Patrimonium, ubi tam circa spiri-*  
*tualia*



Sæcul. XIII. *tualia quam temporalia suprema potestate*  
 A. C. 1202. *gaudemus.*

*Deut. 17. 8.*

*v. gloss. ad  
 cap. Perven.  
 verb. me-  
 dium.*

*v. P. de Mar-  
 ta 2. concord.  
 c. 3. n. 5.*

*Sup. Lib.  
 LXXIII.  
 §. II.*

*Gregor.  
 lib. VIII.  
 ep. 23.*

Ad illud, quod intendit, probandum Pontifex affert locum Deuteronomii, in quo dicitur; si difficile & ambiguum fuerit Judicium, ac opiniones Judicum in civitate variæ, ascendendum esse ad locum, quem Deus elegerit, accedendum ad Sacerdotes, & ad supremum populi Judicem, cujus sententiæ, sub pœna mortis, acquiescendum. Dicit porro Innocentius, per locum a Deo electum Romam, per Sacerdotes Cardinales, & per supremum Judicem Papam designari, & exinde infert, omnes quæstiones difficiles, sive causam criminis, sive civilem, sive Ecclesiastica, sive profana spectent, ad suum Tribunal esse deferendas, ipsiusque sententiam, sub pœna Excommunicationis, esse implendam. In fine Epistolæ Papa gratiam a Domino Urbis Montispeffulani petitam concedere in aliud tempus differt.

Ut vero hanc explicationem loci ex Deuteronomio prætereamus, nihilominus in hac celebratissima Epistola Decretali complura notatu digna occurrunt. Inprimis, non obstantibus opinionibus Gregorii VII. plus justo sibi tribuentis, Innocentius III. fatetur, Regem Franciæ in temporalibus neminem supra se agnoscere, atque ipsum, ut Principem su-



premiū, pronūciare potuisse, filios Sæcul. XIII.  
 suos pro legitimis esse habendos. Tan- A. C. 1202.  
 dem Regem propria voluntate in hac  
 causa se potestati sacræ Sedis subjecisse.  
 Postea Innocentius Papa fatetur, & di-  
 serte distinguit utramque Potestatem,  
 cum dicit: *Nolumus detrabere Juri al-* Matt. 22. 21.  
*terius, aut Potestatem nobis non debitam*  
*surpare; non enim ignoramus, Jesum*  
*Christum in Evangelio respondisse; red-* Luc. 12. 16.  
*dite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt*  
*Dei Deo. Quare cum hæreditatem inter*  
*duos fratres dividere rogatus fuisset,*  
*dixit: Quis me constituit Judicem su-*  
*per vos?*

§. XLIII.

*Causa Reginæ Ingeburgis.*

Interim causa matrimonii Regis Philip- Innoc. lib. 5.  
 pi & Ingeburgis necdum finita, Rex ep. 49.  
 Decanum Aurelianensem, & thesauro  
 Præfectum S. Frambaldi Silvanecti misit,  
 suo nomine apud Papam conquesturos,  
 quod se majore rigore haberet, quam a-  
 lios Principes, quibus in simili causa in-  
 dulisset, ipsorum negotia in loco ipso  
 ab Episcopis Regni sui discuti; nec eo-  
 rum sententiam a sacra Sede fuisse re-  
 tractatam. Contra Papa dicebat; gra-  
 to animo oportere esse Regem, quod sa-  
 cra Sedes Censuris pepercisset, nec Re-  
 gem nec Mariam Concubinam ejus, nec



Sæcul. XIII.  
A. C. 1202. consanguineum ipsius Archiepiscopum Remensem, quo auctore se Rex ab Ingeburgi consortio separasset, ulla sententia damnasset, sed magna moderatione nihil aliud egisset, quam quod, reis sæpe frustra monitis, Franciam Interdicto subjecisset. Ad causam vero definiendam promisit, se missurum duos Mandatarios, qui Partes in ipsis locis, nempe Stampis, ubi Regina tenebatur, audirent, producendos utrinque testes examinarent, etiam in Daniam sumptibus sacræ Sedis proficiscerentur, testes a Canuto Rege nominatos recepturi, & ejus argumenta, quibus causam sororis defenderet, adnotaturi; tum in Franciam redirent, & decretorie judicarent, si Regina consentiret. Si ista non placerent, causa omnibus actis præparata & instructa Romam deferretur, a Papa decidenda, ea si Rex vellet conditione, ut sententia, priusquam promulgaretur, secreto mitteretur in Franciam. Simul Papa, datis literis, Guilielmum Campaniæ, Cardinalem & Archiepiscopum Remensem, exhortari jussit Regem, ne quidquam a se peteret, quod Justitiæ regulis & suæ conscientiæ adversaretur. Hæc Epistola quinta Julii anno millesimo ducentesimo secundo data,



## §. XLIV.

Sæcul. XIII.

A. C. 1202.

*Guilielmi Archiepiscopi Remensis  
obitus.*

Sed his Archiepiscopus haud plus duobus mensibus superstes fuit. Nam

cum Laudunum venisset, apoplexia subito ictus, nulla amplius voce edita, nulloque condito Testamento, die septima Septembris, eodem anno millesimo ducentesimo secundo, Pontificatus sui vigesimo sexto, exanimatur. Eum primis post susceptum Episcopatum annis modestia commendabat, sed exinde cupiditas oblata sibi dona cumulandi, & luxus antea actæ vitæ famam corruperunt. Guilielmo mortuo Sedes Remensis annos duos tum ob Canonicorum Cathedralium dissensionem, tum ob Præsulatum ambientium machinationes vacavit.

Quibusdam Philippum Drocensem Episcopum Belvacensem eligentibus Theobaldus Perchiæ, Archidiaconus Remensis, objecit; hujus viri vitam militis & incendiarii quam Sacerdotis esse similitudinem. Nempe ille est, quem armatum & dimicantem ab Anglis captum fuisse anno millesimo centesimo nonagesimo sexto memoravimus.

Re ad Innocentium Papam delata, is

postulatione Episcopi Belvacensis rejecta, LXXIV.

*Chro. Antis.  
an. 1202.**Alberic. eod.**Marlot. III.**c. 17.**Chro. Laud.**ap. Gall.**Chro. p. 520.**Ep. Inn. III.**ibid. & Ital.**Sac. to. I.**p. 232.**Sup. Lib.**LXXIV.*

Ss 4

Capi. §. 60.



Sæcul. XIII.  
A. C. 1202.

Capitulo Remensi alium eligendi potestatem fecit, dicens, magna indulgentia se hos Canonicos habere, quod, cum jure suo abusi essent, id ad hunc actum omnino amisissent. Ergo Canonicis Remensibus præcepit; intra mensem Archiepiscopum eligerent. Si mandata exequi neglexissent, Episcopo Antisiodorensi, Abbati Perseusiacensi, & cuidam Canonico Noviomensi commisit; ipsi huic Ecclesiæ Archiepiscopum darent, & suis Suffraganeis consecrari curarent. Canonici Remenses, acceptis Papæ mandatis, congregati, rursus in partes abierunt, his Balduino Præposito, aliis magno Archidiacono Perchiensi suffragantibus, & quia Papæ Mandatariis subjici recusabant, iterum Romam itum, & Actio nova mota, Ecclesia Remensi interim Pastore destituta.

## §. XLV.

*Hæretici in Urbe Charitate.*

Sup. n. 7.

Innoc. lib. 5.  
epist. 35.

Nec dum extirpari potuerant Hæretici in Diocesi Antisiodorensi, etsi Concilium Senonense anno millesimo centesimo nonagesimo octavo in eos severissime inquisivisset. Quidam cives ex urbe Charitate, ab Episcopo, quod in eos Hæresis suspicio caderet, excommunicati, Petrum Capuanum Legatum adierunt, qui cum jurejurando sponderent, quod



quod Ecclesiæ obedire vellent, in Con- Sæcul. XIII.  
 cilio Divionensi ab excommunicatione A. C. 1202.  
 absolutos, ad Papam misit. Is perlectis,  
 quæ Legatus suus scripserat, data Epi-  
 stola, Episcopos Augustodunensem &  
 Matisconensem atque Abbatem Clunia-  
 censem, in suis Ecclesiis promulgare jus-  
 sit; hos Cives esse Catholicos, eosque  
 qui Hæresis Charitatenses accusarent,  
 non audire, nisi forte novam suspicionis  
 & scandali causam posuissent. Sed E-  
 piscopus Antisiodorensis eos persequi  
 non desit, datisque literis Papæ expo-  
 suit; quod Charitatenses initio conspe-  
 ctum suum, nempe Episcopi proprii, fu-  
 gissent, nec etiam ad Concilium Seno-  
 nense venissent. Quod in Concilio  
 deinde Divionensi tantum de Excommu-  
 nicatione, non autem de damnando er-  
 rore actum fuerit. Quod postea hi Ci-  
 ves injunctam pœnitentiam non imple-  
 verint, & cum Hæreticis communi-  
 caverint. Tandem petebat, ut Doctri-  
 næ capita, in quibus erraverant, publi-  
 ce profiterentur, & vel errorem damna-  
 rent, vel opinionem suam adductis ar-  
 gumentis probarent. Ergo Papa, missis  
 ad S. Guilielmum Archiepiscopum Bi-  
 turicensem, Episcopum Nivernensem &  
 Abbatem Cluniacensem, mandatis, jus-  
 sit, ut juramentum Civium Hæresim pu-  
 blice abjurantium reciperent, vel contra



Sæcul. XIII.  
A.C. 1202.

eos argumenta Episcopi Antisiodorensis audirent. Si Cives erroris convincerentur, eos secundo excommunicationis sententiæ subjicerent, & Principes ad pœnas a reis exigendas suo hortatu excitarent. Hæc Bulla die duodecimo Maji anno millesimo ducentesimo secundo data.

## §. XLVI.

*Quæstiones de Eucharistia.*

Joannes a bellis manibus Archiepiscopus Lugdunensis, qui certe jam anno millesimo centesimo nonagesimo quinto ad Abbatiam Clarævallensem se receperat, ibi vitam sancto fine clausit. Ex suo secessu Innocentium III. Papam consuluit de tribus Quæstionibus, quarum prima erat, quare Ecclesia in Consecratione Calicis hæc verba adjecerit: *Mysterium Fidei*. Secunda, an Aqua vino mixta in Sanguinem JESU Christi convertatur. Tertia, quid significant præces, quæ pro salute Sanctorum conceptæ videbantur? Respondit Papa, celeberrima edita Decretali, in qua dicit: *Si Canonem Missæ ad examen vocēs, notabis, quod præter illa Verba: Mysterium Fidei, Sacerdos dicat, JESUM Christum levasse oculos in Cælum, atque ad Epithetum Novi Testamenti etiam addat vocem: & æterni, quamvis hæc omnia*

V. ep. 121.  
C. cum Mar-  
tina.

6. de celebr.  
Miss.



omnia in Evangelio non legamus. Porro Sæcul. XIII. A.C. 1202.  
 invenimus, Evangelistas complura Do-  
 mini nostri verba & actiones omisisse,  
 quæ nobis deinde Apostoli in aliis scriptis  
 suis commemorarunt, aut Traditione ad  
 nos transmiserunt. Quale illud est a  
 Jesu Christo dictum, & a S. Paulo rela- Act. 20.  
 tum, quod beatius sit dare quam accipere,  
 & quod post Resurrectionem plus quam I. Cor. 15. 6.  
 quingentis Discipulis congregatis appa-  
 ruerit. Ad vocem Testamenti æterni  
 Papa adnotat diversitatem antiqui Fœ-  
 deris, quod solum ad tempus duraturum  
 erat, & Novi, quod in perpetuum con-  
 ditum est. Tum illos refutat, qui illis  
 vocibus: *Mysterium Fidei*, abutentes,  
 inferebant, Evcharistiam tantum in Fi-  
 gura Corpus Jesu Christi esse, & osten-  
 dit Evcharistiam simul Figuram esse &  
 Veritatem. Tum sermonem claudit in  
 hunc modum: *Credimus igitur, Apo-  
 stolos Consecrationis Formam, qualem  
 in Canone legimus, a Jesu Christo didi-  
 cisse, eamque Apostolorum successores ab  
 ipsis accepisse.*

Ad secundam Quæstionem, an aqua  
 unacum vino in pretiosum Sanguinem  
 convertatur, respondet Papa: *Opinio-  
 nes Scholasticorum in hac materia di-  
 versæ sunt.* Tum postquam retulit o-  
 piniones tres, ut probabiles, & quartam,  
 quam rejicit, addit: *Ex his omnibus pro-* Aqua in  
*babilis-* Sanguinem



Sæcul. XIII.  
A.C. 1202.

ad. Baron.  
an. 1188.  
n. 27.  
v. Pag. ibid.  
n. 12.

*babiliſſima videtur ſententia aſſerens, e-  
quam cum vino in Sanguinem mutari, ut  
inde Sacramenti proprietates magis eluce-  
ſcat. Ideo enim aqua vino miſcetur, ut  
populus Jeſu Chriſto unitus ſignificetur,  
quia ſicut ipſe noſtram naturam aſſumſit,  
ita nos eundem in hoc Sacramento acci-  
pinus, & tam arcte unimur, ut per i-  
pſum cum Patre unum efficiamur. Hæc  
quæſtio annis abhinc ferme quindecim,  
Clemente III. Romæ ſedente, mota fue-  
rat, quod ex Epiftola Godefridi Mona-  
chi Clarævallenſis, olim S. Bernardo ab-  
Epiftolis, ad Henricum Cardinalem E-  
piſcopum Albanenſem data cognofci-  
mus.*

Tertia quæſtio in eo verſabatur; qua-  
re in Oratione Secreta Miſſæ S. Leonis  
hæc verba mutata fuerint: *Quæſumus,  
Domine, ut animæ Famuli tui Leonis hæc  
proſit oblatio, & iſta ſint ſubrogata:  
Annue nobis, quæſumus, Domine, ut in-  
terceſſione B. Gregorii hæc nobis proſit  
oblatio.* Formulam priorem adhucdum  
in Sacramentario S. Gregorii legimus;  
at ſecunda hodie in Miſſali Romano in  
Feſto S. Leonis non amplius, ſed tantum  
in Feſto S. Gregorii occurrit (\*). Ad  
ipſam

(\*) Imo etiam in Miſſa S. Leonis II. vige-  
ſima octava Junii, in Oratione Secreta, eadem  
verba



ipsam Quæstionem Papa respondet; in- Sæcul. XIII.  
 juriam nos inferre Martyri, si pro eo o- A. C. 1202.  
 remus, auctore S. Augustino, æqualita-  
 tem autem rationis nos cogere, ut idem  
 dicamus de aliis Sanctis, qui precibus  
 nostris non indigerent, cum perfecte  
 Beati essent. Quin potius nobis eorum  
 precibus opus esse. *Itaque dicendum,* Serm. 159.  
 inquit, *veterem hanc Formulam votum* al. 17. de  
*Fidelium esse, ut Sancti magis magisque* verd. Apost.  
*in terris honorentur, aut etiam eorum* n. 1.  
*gloria usque ad extremum judicii diem*  
*augeatur in Cælis.* Hæc fuere Inno-  
 centii Papæ ad tres illas quæstiones Re-  
 sponso.

Sub idem tempus Constantinopoli Nicet. in  
 majoris momenti Quæstio de Evchari- Alex. III.  
 stia discutiebatur, videlicet, an in Com- n. 3. p. 332.  
 munionem accipiatur Jesu Christi Corpus  
 incorruptibile, quale post Passionem &  
 Resurrectionem fuit, aut corruptibile,  
 ut ante Passionem erat. Illorum Prin-  
 cepts, qui corruptibile affirmabant, erat  
 quidam Monachus Sicidites, qui hunc  
 errorem, sedente Patriarcha Georgio  
 Xiphilino, spargere cœperat. Xiphili-  
 ni successor Joannes Camaterus, cum  
 ipsas

verba omnino leguntur, ut bene notat P. Bal-  
 duinus, nempe ut supra: *Annue nobis, quæ-*  
*sumus Domine, ut intercessione Beati Leonis*  
*hæc nobis proffit oblatio. &c.*



Sæcul. XIII.  
A.C. 1202.

ipsas radices amputare & Auctorem  
communicare debuisset, ut ejus Sectato-  
res ad silendum compelleret, ipsa enim  
oppugnandi ratione Hæresi viam aperuit,  
qua se latius diffunderet; quippe me-  
thodum Logicam & argumenta adhibuit,  
ut Adversarium ratiocinatione vincere-  
ret, in Mysterio, quod vim naturæ  
longe superat, & adscititia artis Dialec-  
ticæ opera non indiget. Ita de hæc  
Nicetas Historiæ Scriptor loquitur & ad-  
dit: *Dissertationes Catecheticas quoque  
concinnavit Joannes, in quibus appropin-  
quare Quadragesimam denunciabat,  
& animos Fidelium ad penitentiam præ-  
parabat, ac præterea, occasione arrepta,  
de opinione sua mentionem ingerens, quod  
hujus disputationis principium fuisset, &  
quam sententiam ipse teneret, referebat.  
Sed quæ Adversarii opponebant, silentio  
premebat, timens, ut existimo, ne eorum  
responsa diluere haud valeret. Nihilominus  
vero eos oppugnans dicta affingebat,  
quæ ipsis nunquam in mentem vene-  
rant.* Hæc quæstio plebem in partes  
scindebat, ac de ea in plateis & foris pu-  
blicis disceptabatur; unde contentus  
nascebatur tremendi Mysterii, in silentio  
adorandi.

Qui Corpus Jesu Christi in Eucharistia  
in corruptibile defendebant, aje-  
bant, Communionem esse Confessionem &



Sæcul. XIII.

A.C. 1202.

& Monumentum, quod Dominus noster pro nobis mortuus esset, & resurrexisset, secundum opinionem S. Cyrilli Alexandrini. Quæcunque pars acciperetur, totum illud Corpus accipi, quod S. Thomas tetigisset. Corpus Christi manducari, utique resuscitatum, secundum Doctrinam illam S. Chrysostomi: *Quantum prodigium! qui sedet ad dexteram Patris, in manibus versatur peccatoris!* Eutychium autem Patriarcham Constantinopolitanum dixisse; quamquam Fideles unam tantum partem Sacri Corporis & pretiosi Sanguinis accipiant, totum tamen accipere, quod indivisum distribueretur, eo modo, quo sigillum idem in se maneret, postquam plurimas imagines omnino similes impressisset, & sicut vox una esset, etsi ad innumeram multitudinis aures allabatur. Unde Eutychius infert, Corpus Jesu Christi in Eucharistia immortale & incorruptibile, denique tale, quale post Resurrectionem fuisset, existere.

Adversæ opinionis Fautores dicebant; Eucharistiam non esse testimonium & monumentum Resurrectionis, sed solummodo Sacrificium; unde sequeretur, Corpus esse corruptibile & inanimatum, Communicantes autem non integrum Jesu Christi Corpus accipere, sed tantum illam partem, quæ ipsis porrigeretur.

Eucharistia,



Sæcul. XIII. tur. *Quoniam, aiebant, si esset incorruptibile & animatum nec conspici possent nec tangi, nec dentibus moli.* Hac opinione Resurrectionem negare videbatur, cum affirmarent, corpora post resurrectionem nec figuræ humanæ futuræ nec visibilia, nec palpabilia, sed umbræ sine corpore errantibus similia. Atque etiam sequebatur; quando Dominus postquam januis clausis intrasset, id non miraculo fuisse factum, sed natura corporis mortuis excitati. Quin etiam Catholicos criminabantur, quod dicerent, Humanitatem Jesu Christi cum ejus Divinitate confundi, quia naturam ejus humanam incorruptibilem facerent. Nicætas non refert, quis hujus Disputationis exitus fuerit, sed id solum, quod Alexander Imperator Orthodoxis confecerit (\*).

§. XLVII

(\*) Ab Hæresi vindicari potuisset istorum Græcorum doctrina, si nihil aliud affirmassent, quam Corpus Christi in Eucharistia sua natura esse corruptibile. Nam certe corpus Christi ante passionem, cum Dominus in ultima Cena panem consecravit, & Apostolis suis præbuit, corruptibile erat, & idem Corpus post Resurrectionem non natura aliud est, sed Gloria. Verum in eo enormiter errabant illi Hæretici, quod Corpus Christi in Eucharistia non solum



## §. XLVII.

*Crucigeri Venetiis.*

Sæcul. XII.

A. C. 1202.

Inter hæc Crucigeri Franci, iter ingres- *Villhard.*

si, circa Festum Pentecostes, quod hoc <sup>n. 24.</sup>

anno millesimo ducentesimo secundo in

diem secundam Junii incidebat, Vene-

tias convenerunt. Adfuit & aliud Cru-

cigerorum Germanorum agmen, Duce

Martino Litz, Parisii, Monasterii in Dico-

cesi Basileensi Ordinis Cisterciensis, Ab-

bate, qui postquam, acceptis Papæ man-

datis, bellum sacrum Basileæ, eodem

tempore quo Fulco Neviliacensis in Fran-

cia, prædicare cœpisset, & validas mili-

tum cohortes contraxisset, tempus & lo-

cum profectionem exorsuris constituit.

Die illa jam propinqua, Cistercium se-

contulit, præcipuis sui Ordinis Abbati-

bis valedicturus & Benedictionem ad

iter suscipiendum accepturus. Tum,

cum Basilea cum militibus suis exces-

sisset, per vallem Tridentinam Veronam

pervenerunt, ubique honorifice, inpri-

mis Abbas, a quo ducebantur, excepti.

Veronæ magnum numerum aliorum Cru-

cigerorum ex variis Regionibus habue-

runt,

sua natura & substantia, sed etiam quoad sta-  
tum & modum existendi corruptibile esse, divi-  
sibile, & ne quidem animatum dicerent.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XVIII. T t*

*Villhard.**n. 24.**Gunther.**hist. C. P. to. 5**Canis. p. 356.**.25. 11*



Sæcul. XIII.  
A.C. 1202.

runt, quorum societate lætissimi, Venetias petierunt, eo consilio, ut navigiis impositi recta in Ægyptum vela facerent, ne inducias, quas Christiani in Palæstina cum Infidelibus pacti erant, violarent.

Villhard.  
n. 25.

Eodem tempore ex Flandria classis solvit sub auspiciis Joannis de Néele, Arcis Brugensis præfecti, qui Comiti Balduino promiserat, se trajecto freto Gaditano Venetias navigaturum; sed pacto non stetit, sicut etiam plures alii tam Flandri quam Franci, qui per aliam, ac polliciti fuerant, viam in terram sanctam tenderunt. Unde discordia inter illos, qui Venetiis erant, nata; nam postquam ipsi partem suam condictæ Venetis mercedis solvissent, non exigua tamen de tota pecuniæ summa pars deerat, & contra Veneti tot naves tantumque annonæ, quantum ex pacto debebant, præstitierant. Ergo aliqui ex Crucigeris dicere: *Vectura pretium dedimus, & nihil in nobis deest, quo minus iter arripimus; si autem operam denegent Veneti, vertamur ad alios.* Opponebant multi haud sane oportere tantum dissolvi exercitum, sed nihil superesse, quam ut cuncti Venetiis quocumque demum pacto naves conscenderent. Vicit ceteros hæc suadentium constantia, præsertim cum eadem mens Comiti Flandriæ, Mar-



Marchioni Montisferratensi, & Optima-  
 tum præcipuis esset. Hi supellectilem  
 suam auream argenteamque & quantum  
 pecuniæ mutuæ a fœneratoribus acci-  
 pere potuerunt, Venetis obtulerunt, qui-  
 bus tamen necdum sufficientibus, tri-  
 ginta quatuor millia marcarum argenti  
 promissi deerant.

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1202.

Tunc vero Dux Venetorum Henri-  
 cus, videns plus pecuniæ a Crucigeris  
 extorqueri non posse, modum exposuit,  
 quo reliquum debitum expungerent, si  
 nempe Venetis ad expugnandam urbem  
 Jaderam in Sclavonia\*, a Rege Hunga-  
 riæ sibi ereptam, junctis armis auxilia  
 præstarent. Condixerunt operam Cru-  
 cigeri, illis, quibus exercitum dividi pla-  
 cebat, nequicquam refragantibus, & ipse  
 Henricus Dandolus, vir senio gravis,  
 infirmus, & oculis captus, facti Ducem  
 se dedit, Crucisque signum cum multis  
 Venetis humero imposuit. Ceterum  
 Papa Venetias miserat Cardinalem Pe-  
 trum Capuanum, sacrae Sedis Legatum,  
 atque Suffredum Cardinalem, Titulo  
 S. Praxedis, Crucigeros milites in Ter-  
 ram sanctam comitaturos, iisque pot-  
 estatem & mandata, quæ poterat, am-  
 plissima contulerat. Sed Veneti, me-  
 tuentes, ne Petrus Jaderam urbem ag-  
 gressuris se se opponeret, dixerunt; se  
 eum quidem devecturos, si expeditioni

\* Dalmatia.

Gest. Innoc.  
 n. 85.

Lib. V. epist.  
 26. 25.

T t 2 ut

Vene-  
 avigis  
 a face  
 in Pa-  
 at, vio-  
 classis  
 Néete,  
 ri Bal-  
 o Ga-  
 ed pa-  
 ii tam  
 m, ac  
 nctam  
 illos,  
 quam  
 mer-  
 en de  
 c con-  
 anno-  
 rælli-  
 s di-  
 5 no-  
 ipia-  
 neti,  
 multi  
 i ex-  
 n ut  
 n pa-  
 cete-  
 eser-  
 rixæ,  
 Mar-



Sæcul. XIII. ut præco Verbi divini, non autem ut  
A. C. 1202. sacræ Sedis Legatus, adesse vellet. Aliud  
 videbatur Francis, sed quia Venetia  
 sententia dimoveri non poterant, Petrus  
 offensus Romam rediit, eorumque con-  
 silia Papæ aperuit, qui datis ad omnes  
 milites sacros literis, districtè, addita  
 pœna excommunicationis, Christiano-  
 rum ditones invadere vetuit, & in pri-  
 mis urbem Jaderam, quam Rex Hunga-  
 riæ & ipse voto sacræ militiæ obstrictus  
 teneret. Id ipsum viva voce Pontifex  
 Marchioni Montisferratensi prohibuerat,  
 qui solerter absentia prætextu quæsito,  
 expugnationi Jaderæ urbis non inter-  
 fuit.

*Villhard.*  
 n. 35.

*Sup. Lib.*  
*LXXIV.*  
 §. 51.

*Gest. Innoc.*  
 n. 82.

Mense Septembri appropinquante,  
 cum omnia ad navigationem pararen-  
 tur, Venetias pervenerunt Legati, mis-  
 si ab Alexio Angelo juniore, filio Isaaci  
 Imperatoris, quem Alexius frater, de so-  
 lio pulsum, anno millesimo centesimo  
 nonagesimo quinto, utroque lumine pri-  
 vaverat. Isaacii filius in Italiam evase-  
 rat, & Romæ querelas in conspectu Pon-  
 tificis, Cardinalibus, multisque prima-  
 rum stirpium viris exposuerat. Dice-  
 bat; Alexium, patrum suum, injustum  
 esse Imperii usurpatorem, & crudelita-  
 tem qua hodieque Imperatorem, fratrem  
 suum, torqueret, abominabatur. Vin-  
 dictam a Papa orabat, cum neminem  
 sciret



sciret Pontifice superiorem, ad quem mi-  
 ferrima calamitate pressus posset confu-  
 gere. Respondit Papa, quæ ad rem vi-  
 debantur, ac Princeps juvenis destina-  
 tum iter profectus est, Germaniam pe-  
 tens, ut Regem Philippum Sueviæ, qui  
 Irenem, sororem suam, conjugem acce-  
 perat, adiret. Cum Veronam divertis-  
 set, comperit, sacros milites Venetiis  
 degere; suaseruntque amici, ut ab eis  
 auxilium peteret. Ergo ipsius Legati  
 ad Marchionem Montisferratensem ce-  
 terosque sacræ militiæ Principes se con-  
 ferunt, qui Nuncios ad Regem Philip-  
 pum Sueviæ miserunt, exploraturos, an  
 se in expugnatione Terræ sanctæ copiis  
 augere vellet, quod si faceret, promit-  
 tebant ipsi, quod Alexium in paterno so-  
 lio Constantinopolitano suis viribus col-  
 locare conaturi essent. His mandatis  
 instructi Crucigerorum Principum Nun-  
 cii in Germaniam cum juvene Alexio  
 contendunt.

## §. XLVIII.

*Jadera capta.*

Cum Francorum Venetorumque clas-  
 sis e portu Veneto in die octava  
 S. Remigii octava mensis Octobris anno  
 millesimo ducentesimo secundo solvisset,  
 in conspectu urbis Jaderæ in vigilia S. Mar-  
 tini die decima Novembris fuit. Cives

Tt 3

ad

Sæcul. XIII.  
A. C. 1200.



Sæcul. XIII.  
A. C. 1202.

ad Venetiarum Ducem nuncios mittunt, qui significarent, urbem se Principibus Crucigerorum permissuram. Respondet Dux, se rem ad Principes Francorum delaturum. Interim vero illi, qui dividendi exercitus auctores erant, ad Legatos civitatis dicebant: cur hostium arbitrio vos ipsos deditis? si contra solos Venetos vestra tueri potestis, nihil est, quod a sacris militibus timeatis. Ita Legati ad suos redeunt non expectato responso Ducis Venetorum aut Principum Francorum, qui sponte se dedentes Jaderenses recipiendos in fidem arbitrabantur.

Tunc vero Guido Abbas *des Vaux de Sernai*, Ordinis Cisterciensis, Diocesis Parisiensis, in medium prodiens, ait: *Principes! in nomine Papæ vobis precipio, ne hanc urbem aggrediamini. Civés enim Christiani sunt, & vos sub vexillo Christi cruce insigniti militatis.* Tumque Epistolam Pontificis recitavit, in qua Crucigeros Christianorum ditio- nes infestare vetabat. Nihil propius fuit, quam ut Abbas a Venetis interficeretur; verum Simon Comes Montfortius profliens Præfulis præsidium in se suscepit. His non obstantibus Jadera obsessa & a civibus dedita est, ac Venetis consilium suggerentibus totus exercitus ibi hyemavit.

*Petr. hist.  
Albig. c. 19.*



At Papa, hac expeditione comperta, *Sæcul. XIII.*  
 ad Crucigeros dedit Epistolam, in cuius *A.C. 1202.*  
 fronte nec Salutem nec Benedictionem ponens  
 ponens tanquam excommunicatos alloquitur. *5. ep. 161.*  
*Cives Jaderæ, inquit, arbitrio* *Gest. n. 86:*  
*nostro se se subjecturos in causa sua cum*  
*Venetis pendente promiserant; cum non*  
*audirentur, Cruces in murorum suorum*  
*ambitu suspenderunt, ut saltem Christi*  
*reverentia hostes Christianos arceret.*  
*Vos vero, spreto Crucifixo, urbem ad de-*  
*ditionem compulistis, Cardinalem Petrum*  
*Legatum nostrum vobis præcepta nostra*  
*exponentem, & literas nostras tandem*  
*coram vobis publice recitatas rejecistis.*  
*Veneti vobis spectantibus infausta urbis*  
*mœnia everterunt, Ecclesias spoliarunt,*  
*ædes diruerunt, vosque cum iis sacrile-*  
*gam prædam partiti estis. In fine pro-*  
*hibet, ne Jaderensibus ultimam inferant*  
*perniciem, jubetque curare, ut Regi Hun-*  
*gariæ ablata restituantur.*

## §. XLIX.

*Padta cum Alexio juniore inita.*

Inter hæc Jaderam perveniunt Regis  
 Philippi Sueviæ, & Alexii Principis  
 Legati, qui in domo Venetorum Ducis  
 ad congregatos Crucigerorum Principes  
 perorarunt in hunc modum: *Rex, Do-* *Villhard.*  
*minus noster, mittit ad vos Principem, n. 45.*



Sæcul. XIII. uxoris ~~suæ~~ fratrem, quem Dei & vestre  
 A.C. 1202. custodia tradit. Quia enim pro Dei bo-  
 none, & amore Iustitiæ protectionem  
 militarem suscepistis, vestrum est, Prin-  
 cipes de solio suo ab improbis dejectos, quos  
 potestis restituere. Si huic Principi Im-  
 perium Constantinopolitanum, nempe  
 Hæreditatem Patris sui dederitis, illud  
 ipse imprimis ad Communionem Sacra-  
 Romanæ Sedis reducet, a qua jam diu a-  
 vulsum est. Tum ut sumtus a vobis fa-  
 ctos restituat, ducenta millia marcarum  
 argenti solvet, & omnibus copiis vestris  
 commeatus præstabit. Ipse vobiscum in  
 Ægyptum proficiscetur, aut si potius vo-  
 bis visum fuerit, ad annum unum decem  
 virorum millia, ipsius stipendiis militatu-  
 ra, mittet, & quoad superstes fuerit,  
 quingentis equitibus necessaria suppedita-  
 bit, ad Terram sanctam & ultramarinam  
 custodiendam.

His quæ offerebantur auditis, Cru-  
 cigerorum Principes ad deliberandum  
 fecerunt. Abbas de Vaux Sernai &  
 illa factio, cui semper dividendus exer-  
 citus videbatur, dicebant nunquam se  
 consensuros; quia si his consiliis dare-  
 tur locus, bellum Christianis inferendum  
 esset. Non istud plane sibi propositum  
 fuisse cum e patria excessissent, sed præ-  
 stare in Syriam tendere. Respondebant  
 adversæ partis fautores: *In Syria nihil*  
*efficie-*



efficietis, exemplum capietis ab illis, qui nobis relictis illuc contenderunt. *Ter-* ram sanctam nunquam nisi vires ex Ægypto vel ex Græcia advenerint vindicabimus. Si, quæ hodie fortuna offert, respuimus, posterorum risum & contemptum non effugiemus. Sed nec Abbatibus Cisterciensibus una stabat sententia. Abbas de Lucé in Diocesi Vercellensi & aliquot alii instabant; universas vires exercitus esse conservandas, & expositas condiciones recipiendas. Contra Abbas de Vaux Sernai, ejusque clientes asseriebant, id non licere, sed petendam esse Syriam. Tandem vicerunt Optimatum præcipui, receptoque fœdere, Alexio Principi favente, statutum, ut intra quatuordecim dies temporis Paschalis ad Crucigerorum castra anno millesimo ducentesimo tertio veniret. Litteræ, hæc pacta continentes, expeditæ & sigillis munitæ sunt, sed haud plures quam duodecim Principes ad ea implenda juramento se adstrinxerunt, nempe Bonifacius Marchio Montisferratensis, Balduinus Comes Flandriæ, Ludovicus Comes Blesensis, Hugo Comes S. Pauli, præter octo alios.

Ubi ad aures Alexii Imperatoris pervenit, nepotem suum a Rege Philippo Sueviæ auxilia impetrasse, ubique hostilem Crucigerorum exercitum imminere,

T t 5

missis

Sæcul. XIII.  
A. G. 1202.



Sæcul. XIII.  
A. C. 1203.

missis ad Innocentium Papam Legatis cum literis rogavit; Crucigeros ab hoc consilio dimoveret, quod si exequerentur, manus utique suas, non sine gravi Dei injuria, Christianorum sanguine polluturos, & partem virium amissuros, quibus universis ad devincendos Infideles indigerent. His addebat; Alexio juveni nullum jus in Imperium Constantinopolitanum esse, quod lucem aspexisset, antequam ejus parens Isaacius Cæsaream Dignitatem fuisset consecutus. Porro solos pueros in purpura natos, id est, a patre jam imperante, legitime succedere, qui se deficerent, non natalium jure, sed electione dignissimos ad Imperium pervenire. Præter alia rescriptit Papa: *Crucigerorum Principes a Philippo Sueviæ ejusque Leviro sollicitati responderunt: se Sacram Sedem consulturos, priusquam tantæ molis negotium aggredierentur, & Cardinalem Petrum S. Marcelli, qui mare cum ipsis trajicere parabat, permoverunt, ut ad nos rediret, ipsosque mentem nostram hac de re edoceret. Is omnia accurate nobis exposuit; postquam vero Legati tui in nostrum conspectum venerint, deliberabimus cum Fratribus nostris, consiliumque, quod tibi displicere haud poterit, capiemus.*

Lib. 5. epist.  
122.]

Quam-



Quamquam etiam complures affirmant, quod votis Crucigerorum benigne acquiescere deberemus, quia haud sane ut par esset Ecclesia Græca Sedi Apostolicæ submissa est. Et post alia: Post Manu-  
 lis gloriosæ memoriæ Principis tempora, non ea plane Imperii Græci in nos sunt merita, ut ei favere & succurrere oporteat, cum Antecessores nostri, nosque ipsi, nihil præter verba inania, nullo sequente effectu, a Græcis acceperimus. Nihilominus in spiritu lenitatis vobiscum agere statuimus, hortamurque, ut in posterum saltem toties promissa impleatis, quemadmodum & nos serio magis quam antebac, quod officii nostri est, facturum sumus. Hæc Epistola vigesima sexta die Novembris anno millesimo ducentesimo secundo data.

Sæcul. XIII.  
 A C 1203.  
 B. N. 2021. 08

§. L.

Legatio ad Papam in causa Jaderæ urbis.

Crucigeri vero, Jadera capta, ut Pon-  
 tificis animum delinirent, ad eum  
 Nevelonem Episcopum Sueffionensem,  
 Joannem Noviomensem, Balduini Co-  
 mitis Cancellarium, Martinum Abbatem  
 Parisinum in Diœcesi Basileensi duosque  
 Equestris ordinis viros miserunt, quibus  
 Bonifacius Marchio Epistolam deferen-  
 dam

Villhard.  
 n. 53.  
 Gunther.  
 p. 367.



Sæcul. XIII.

A.C. 1203.

fors tulisset, a Catholicis sine cæde & sanguine occupari, sed verebatur, ne exercitus Crucigerorum periret, non ignorans, plures esse Constantinopolitanorum naves, ad piscandum emissas, quam in tota Crucigerorum classe numerarentur, si etiam triremium ad bellum vel mercatum comparatarum nulla ratio haberetur. Itaque suadebat Pontifex; recta Crucigeri Alexandriam navigarent, annonam tamen in transitu ex oris Romaniae (ita cunctæ ditiones Imperii Constantinopolitani dicebantur) acciperent. Martinus Abbas, non statim cum aliis Legatis Collegis suis Jaderam reversus, licentiam a Papa petiit, ad Monasterium suum redeundi. Sed eum Papa editum votum servare & in Terram sanctam proficisci iussit. Ergo Beneventum se contulit, ubi Cardinalem Petrum Capuanum habuit, jam jam naves se commissurum, ut Acriam navigaret. Nam Papa, præsumens, Milites Crucigeros in Palæstinam navigaturos, illum misit duos Legatos Soffredum & Petrum Capuanum, qui in Insulam Cyprum divertentes, quæ ibi necessaria videbatur, peregerunt. Prior in portum Acriæ invehctus Soffredus ibidem Monachum, Patriarcham Hierosolymitanum, cum morte colluctantem habuit. Cumque post paucos dies animam reddidisset, nemo

Id. n. 9.

Gest. Innoc.  
n. 88.



nemo alius Patriarcha novus Hierosolymitanus a Clericis populoque, consentiente Rege, & approbantibus Episcopis Suffraganeis, quam ipse Soffredus electus est. Petrus Capuanus, postquam apud Sipontinos mari se credidisset, portum Acriensem vigesima quinta Aprilis anno millesimo ducentesimo tertio, & cum eo Martinus Abbas attigit.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1203.

Episcopus Sueffionensis aliique Legati Jaderam reduces Francis Crucigeris Papæ Epistolas exhibuerunt, in quibus eos pro peccato in expugnatione hujus urbis commisso satisfacere jubebat, atque omnia, quæ civibus Jaderensibus raperant, restituere. Baronibus quoque injunxit; datis literis patentibus nomine suo & Successorum suorum promitterent, se secundum mandata Papæ in hac causa satisfacturos. Quod etiam executi sunt, etenim Chirographum tradiderunt, Jaderæ mense Aprili anno millesimo ducentesimo tertio datum, in quo legebatur, quod, cum excommunicatione innodati fuissent, aut saltem timerent, ne ista censura essent constricti, in se & Successores suos, secundum Sacræ Sedis mandata, onus restituendi suscipiant. Tanta fuit Francorum submissio; at Veneti eo adduci non poterunt, ut in hac causa absolvi peterent.

*Gest. Innoc. n. 87.*

Crucigeri.

*ap. Rainald. an. 1203. n. 5.*

Franci



Sæcul. XIII.

A.C. 1203.

Franci, quibus perspecta erat Venetorum pertinacia, Pontificem consuluerant, an cum ipsis communicare, an abstinere deberent. Ad quam quæstionem respondit Papa: *Si Veneti absolvi volunt, damus vobis licentiam cum ipsis tenere maritimo usque ad ditiones Sarcenorum, vel usque ad provinciam Hierosolymitanam, prout iter vos convenerit, proficiscendi, atque communicandi, sed repugnante animo & spe veniæ impetrandæ. Secus enim, cum a vobis maximam pretii pro vectura conditi partem acceperint, vosque ad eam restituendam ipsos compellere non possitis, vobis Ecclesiastica Pœnitentia damno esset, & ipsis prodesset sua pervicacia. At ubi terram firmam attigeritis, nisi Veneti ab Excommunicatione absoluti fuerint, cum ipsis non dimicabitis, ne vindictam divinam in vos provocent, ut olim Achab in populum Israelis. Ne vero commeatus vobis defint, scribemus Imperatori Constantinopolitano & hortabimur, ut quod promisit, efficiat. Porro si nihilominus sustentatio necessaria vobis subtraheretur, quia militatis Jesu Christo, cujus est totus orbis terrarum, a sana ratione abhorreere non videretur, si annonam, ubi ubi denique urgente necessitate, animo satisfaciendæ, & nemini nocendi extorqueretis. Hac*

licen-



licentia concessa, qua de rapto vivere  
 possent sacri milites, etiam in regionibus  
 amicorum, eo magis memoratu digna  
 est, quod his rapinis Papa auctoritatem  
 ex sacris paginis conciliare conetur (\*).

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1203.

§. LI.

*Sacri milites ad portas urbis Constantinopolitaneæ.*

Inter hæc cum ad notitiam Papæ per-  
 venissent foedera, quibus Crucigeri A-  
 lexio juniore promiserant, se in soliam  
 Constantinopolitanum ipsum invectu-  
 ros, Epistolam ad eos dedit, cujus sum-  
 ma ferme hæc erat: *Nemo ex vobis us-  
 que*

*Gest. n. 89.  
 6. ep. 101.  
 ap. Rainald.  
 n. 13.*

(\*) Non accurata est hæc Fleurii crisis &  
 reflexio. Nihil adeo singulare vel memoratu  
 dignum invenio in ista licentia, quam Summus  
 Pontifex Crucigeris Militibus competere decla-  
 rat. Quippe Jure omnium Gentium stabilitum  
 est, ut si annona necessaria, oblata pecunia, de-  
 negetur, eam vi adhibita extorqueant.

Nec etiam rapinis in terra amicorum au-  
 thoritatem Sacræ Scripturæ Innocentius Papa  
 conciliat, sed tantum dicit, in societate homi-  
 num, ob latrocinia excommunicatorum, sine  
 necessitate adversus hostes non esse pugnan-  
 dum, atque exemplum *Achan* ob crimen furti  
 jussu divino cum tota familia lapidibus obruti  
 adducit.

*Hist. Eccles. Tom. XVIII.*

Uu



Sæcul XIII. *que adeo sibi blandiatur, ut credat, id est*  
A. C. 1203. *sibi licere Ditiones Græcorum invadere*  
*vel diripere, quod gens ista Sedi Aposto-*  
*licæ, ut par esset, non obediat, aut quod*  
*frater fratri Imperium ademerit.*

*Quodcumque demum crimen Imperator, ejusve subditi commiserint, vestrum baud est judicium, nec ad hanc injuriam sed opprobrium Jesu Christi vindicandum cum sacra Cruce arma arripuistis.*

*Hortamur vos igitur, atque districtè præcipimus; nolite vos ipsos fallere, nec ab aliis falli vos finite. Nolite, inquam, falsa pietatis specie decepti facere, quod animabus vestris perniciem allaturum est. Quin potius rejecto simulatæ necessitatis obtentu, in Terram sanctam ite, & ex hostium manibus eripite, quæ forte fratribus vestris furto auferetis, si diutius in Romania versamini. Nisi obtemperatis, nulla vobis spes veniæ superest.*

*Villehard.*  
*n. 55.*

Crucigeri Franci Venetique nihilominus destinata executi sunt. Antequam e portu Jaderæ urbis solverent Venetique muros turresque dejici jusserant, tuncque præcipuorum Optimatum Francorum aliqui, nempe Simon Comes Montfortius, Guido ejus frater, Simon de Neaufle, & non nulli alii cum Abbate Sernacensi\*, exercitum reliquerunt. Simon Montfortius, pactis cum Rege Hungariæ

\* Vaux-Sernai.



gariæ initis, ad eum divertit. Tum in Sæcul. XIII.  
 Apuliam, indeque in Terram sanctam A.C. 1203.  
 profectus est. Totus vero exercitus  
 statim post Pascha, quod hoc anno mil- *Petr. Hist.*  
 lesimo ducentesimo tertio, in diem sex- *Al. c. 19.*  
 tam Aprilis inciderebat, ex portu Jaden-  
 rensi provectus, tribus hebdomadis in  
 Insula Coreyra diversatus est, unde, cum *Vilhard.*  
 vigesima quarta Maji, in Vigilia Pente- *n. 67.*  
 costes vela explicasset, vigesima tertia  
 Junii in Vigilia S. Joannis in conspectu  
 urbis Constantinopolis ancoras jecit.

Paucis diebus consumtis, Alexius Im-  
 perator ad Barones Crucigeros quem-  
 dam virum nobilem Longobardum, no-  
 mine *Nicolo Rossi*, misit, qui diceret: *n. 72.*  
*Non ignorat Imperator, vos, post Reges*  
*coronam gerentes, maximos & ex cla-*  
*rissima Gente Principes esse. Sed mi-*  
*ratur, cur in ejus Ditiones pedem in-*  
*tuleritis, cum & ipse & vos Christiani*  
*sitis. Nam illud quoque compertum ha-*  
*bet, quod ad vindicandam Terram san-*  
*ctam veneritis. Si quædam vobis neces-*  
*saria sunt, commeatus & aurum lubenti*  
*animo dabit, dummodo ex ejus terris ex-*  
*cedatis, nec ulla ratione, etsi potestas non*  
*desit, vobis nocebit. Ceterum non eadem*  
*vos & Dominus meus æstimatione mu-*  
*tuas vires metimini, scit enim, vos, si e-*  
*tiam vicies numero majores adessetis, vim*  
*Græcorum non posse effugere, sed certis-*

Uu 2 sine



Sæcul. XIII.

A.C. 1203.

*sine fore, ut vel cæsi vel prostrigati temeritatis pœnas detis.* Tum omnium Baronum nomine Conon Betunensis confurgens dixit: *Neutiquam Domini tui terras contigimus, Imperium alienum usurpantis. En, legitimum Imperii Dominum, Principis tui nepotem, in hoc solo inter nos sedentem. Si Dominus tuus coronam & Imperium, cui debet, reddat, juvenem Principem rogabimus, ut ignoscatur propinquo, & census, unde munus vivat, constituat. Si ad nos redire ausus fueris, aliam conditionem afferentis, totum illum diem homo non eris.*

## §. LII.

*Constantinopolis a Crucigeris  
capta.*

n. 90.

Tum Crucigeri Alexium juvenem populo Constantinopolitano ostendunt, nulloque accepto responso, urbem aggrediuntur & incursu superant. Alexius Imperator fuga se proripit, & Græci Isaacium, fratrem ejus, diu ante excruciatum, e carcere protractum solio imponunt. Quod cum Latinis nunciari jussissent, illi, missis ad Isaacium Imperatorem Legatis, fœdera, cum filio ejus inita, rata haberi petunt, sicque Constantinopolim intrant die Veneris decima Octava Julii, Alexium juniorem introducunt.



centes, qui in Festo S. Petri ad vincula  
 prima die Augusti anno millesimo du-  
 centesimo tertio in Ecclesia S. Sophiæ  
 coronatus est, postquam Alexius ejus  
 patruus octo annis mensibus tribus &  
 decem diebus imperasset. Crucigeri  
 Innocentium Papam omnium, quæ acta  
 fuerant, certiores fecerunt, data Epi-  
 stola, in qua dicebant: *Ex quo Jaderam  
 reliquimus, nihil moliti sumus, quod  
 propitio Deo, non bene vertisset. Un-  
 de illi soli tota successus gloria tribuen-  
 da. Pactis cum Alexio Isaacii Impera-  
 toris filio conditionibus, cum comite  
 & ceteris rebus omnibus in bello necessa-  
 riis desitueremus, oneri futuri eramus  
 fratribus nostris in Terra sancta, sicut  
 illi, qui adventum nostrum anteverte-  
 runt. Præterea non obscuris nitebamur  
 argumentis, ex quibus credere nobis fas  
 erat, majorem Proborum partem Con-  
 stantinopoli Alexii junioris adventum  
 exoptare. Faverunt nobis venti illo  
 anni tempore, quo navigantibus adversa-  
 ri solent, sicque feliciter & celeriter pro-  
 vecti, supra omnium spem in conspectu  
 Constantinopolitanæ civitatis in ancoris  
 stetimus. Sed eam clausam & arma ad  
 nos repellendos parantem habuimus, qua-  
 si vero gens Infidelis in Religionis Chri-  
 stianæ exitium advenisset. Nam Usur-  
 pator, vir crudelis, populo ad concionem*  
 U u 3                      vocato,

Sæcul. XIII.

A.C. 1203.

Chr. S. Mar.  
Antiff. 1203.

n. 10.

Nicet. p. 352.

Gest. Inn. 90.

6. ep. 211.

Rainald.

Un-1203.

n. 14.



Sæcul. XIII. *vocato, persuaserat, Latinos adesse, ma-*  
A. C. 1203. *tiquam & a Majoribus acceptam libertate*  
*tem oppressuros, Imperiumque Græcorum*  
*suis Legibus & potestati Romani Episcopi*  
*subjecturos. Qua oratione animos nos & Principem*  
*juvenem ita accendit, ut nec sermonem, nec conspectum ferre*  
*potuerint. Cumque in manibus stantibus*  
*sæpius alloqueremur, illi tela intorquebant.*

*Itaque satis intelligentes, eo ventum esse, ut nobis vel vincendum esset, vel moriendum, quia alimenta vix ad dies quindecim suffectura erant, urbem terrarumque obsidione pressam ac die octava expugnatam intravimus. Referunt deinde, fugisse Usurpatorem, Isaacium e vinculis liberatum, coronatum ejus filium, & subjungunt: Imperator promissis stare incepit, ducenta millia marcarum argenti nobis solvit, ad alendos uno anno Classarios Venetos se se obligavit, juramento se obstrinxit, quod expeditione mense Martio nobiscum interfuturus sit, tot copiis, quot contrahere potuerit, cinctus. Promittit, se eam tibi exhibiturum esse obedientiam, quam Imperatores Catholici, Antecessores ipsius, superiorum temporum Pontificibus præstiterunt, & Ecclesiam Orientalem ad Sacræ Sedis sinum reducere omnibus viribus conaturum. Tandem quingentos Equi*



*Equites in Terra sancta, quoad victurus esset, suis stipendiis aliturum.*

Sæcul. XIII.  
A.C. 1203.

Epistolam istam iisdem verbis conceptam Ottoni Imperatori, Balduinus Comes Flandriæ, Ludovicus Blesensis, Henricus S. Pauli ceterique Crucigeri miserunt, hisce in fine additis: *Ut auxiliis quæ offert nobis Dominus utamur, statuimus, hyemem Constantinopoli transigere, proximo vere in Ægyptum vela facturi. Nihil autem magis in votis est, quam te sub vexillis Christi nobiscum dimicantem conspicerem, vel potius totius exercitus collecti Ducem sequi. Interim ad Soldanum Babylonis, injustum Terræ sanctæ Usurpatorem. Legatos misimus, qui ei nomine Jesu Christi, Imperatoris Constantinopolitani & nostro denuncient; nos maxima fiducia sperare, populos Infideles, subditos ejus, brevi experturos, quanto zelo Christianorum gentes Hierosolymam sibi vindicandi accendantur. Soldanus iste erat Melic-Adel Saladini Soldani in Ægypto, Cauri residentis, frater.*

Græcorum  
Imperium  
concussam.

Bibl. Orient.  
p. 745.

Extat etiam Epistola Henrici Comitis S. Pauli ad Ducem Lovaniensem data, in qua iisdem adjunctis captam Constantinopolim narrat, & in fine adjicit: *Causam Redemptoris nostri strenue egimus. Ecclesia Orientalis, cujus Con-*



Sæcul. XIII. *stantinopolis olim Metropolis fuit, jam*  
 A.C. 1203. *Capiti suo, Pontifici Romano, cum Im-*  
 peratore suo totoque Græcorum Imperio  
 Ap. Godesf. *unita, sese filiam Ecclesiæ Romanæ profite-*  
 mon. an. *tur, eique submisit in posterum obedire*  
 1203. *promittit. Ipse Patriarcha Romanam ibi,*  
*Pallium a Papa accepturus.*

6 ep. 210. ap. *Id ipsum promississe legimus hunc Im-*  
 Rainald. *peratorem, nempe Alexium juniorem,*  
 n. 17. *in Epistola ad Innocentium Papam data,*  
*in qua dicit: Fatemur, eam rem præci-*  
*pue pie peregrinantes ad ferendum nobis*  
*auxilium permovisse, quod libera volun-*  
*tate & iurejurando promiserimus, nos*  
*humili mente Pontificem Romanum, Co-*  
*put Ecclesiasticum totius Orbis Chri-*  
*stiani, ac S. Petri successorem receptu-*  
*ros esse, atque etiam Ecclesiam Orienta-*  
*lem omnibus viribus ad concordiam com-*  
*pulsuros, si Deus sua misericordia ad-*  
*emptam coronam nobis redderet, minime*  
*ignari, hanc reconciliationem non mi-*  
*nus utilitatis quam gloriæ Imperio nostro*  
*allaturam. His literis eadem promissa*  
*confirmamus, & consilium tuum ad re-*  
*ducendam Ecclesiam Orientalem peti-*  
*mus. Quæ omnia salutaribus monitis*  
*Conradi Episcopi Halberstadiensis, Gar-*  
*nerii Trecensis, Nevelonis Sueffionensis,*  
*Abbatis de Lucé, & Magistri Joann-*  
*is Noviomensis impulsu agimus. Hæc*  
 Episto-



Epistola Constantinopoli vigesima quinta Augusti data (\*). Sæcul. XIII.  
A.C. 1203.

§. LIII.

*Joannicius Rex Bulgarorum ad Papam convertitur.*

**H**aud diu post Alexius Imperator Constantinopoli excessit, Marchione Montisferratensi & Baronum Francorum parte comitantibus, ut a subditis suis in omnibus provinciis reciperetur; & Græci quidem in Asia Europaque ei fidem jurarunt, sed Joannes Rex Bulgarorum & Valachorum Imperium detestavit. *Villehard.*  
n. 105.

Quippe Bulgari, annos plus quam centum quinquaginta Græcis subjecti, *Cang. famit.*  
*Dalm. 7.*

U u 5 regnan- p. 318.

(\*) Ex tot promissis, diversis temporibus editis, & nunquam impletis, liquet, Græculos non ideo in Schismate (qualecunque demum fuerit) perseverasse, quod Romanum Pontificem jure divino Ecclesiæ universalis Caput, & S. Petri successorem esse ignorarent, aut argumentis & conscientia doctrinæ contrariæ convicti essent, sed eis obstitisse noxium pudorem, arrogantiam & perfidiam, ne superbas cervices coram Episcopo Occidentis flecterent. Unde illud: *Græca fides, nulla fides*, non modo de fide humana, sed etiam de fide Deo debita, de iis affirmari verissime potuit.



Sæcul. XIII. regnante Isaacio Angelo seditionem mo-  
 verunt, Petro & *Afan* fratribus, ex an-  
 tiqua Regum ipsorum stirpe editis, Du-  
 ctoribus. *Afan* circa annum mille-  
 mum centesimum octogesimum nonum  
 factis functo, Petrus haud diu superstes  
 fuit, successorem relinquens fratrem ter-  
 tium, Joannem seu Joannicium nomine,  
 quem Regni locium adsciverat. Is, ut  
 suam adversus Græcos muniret potes-  
 tiam, Legatis anno millesimo centesimo  
 nonagesimo septimo Romam missis, cu-  
 pere se se Papæ submittere, & coronam  
 ipsi in acceptis referre professus est. Tri-  
 namque adornavit Legationem, ante-  
 quam responsum acciperet; Sed Inno-  
 centius III. in Sacra Sede collocatus, an-  
 no Pontificatus sui secundo, nempe mil-  
 lesimo centesimo nonagesimo nono, Do-  
 minicum, Græcorum Brundusii Archi-  
 presbyterum, Græcæ & Latinæ linguæ  
 gnarum, ad eum misit; quamvis enim  
 vulgaris Bulgarorum lingua esset Scla-  
 vonica, Presbyteri tamen eorum & viri  
 literati etiam Græcam, quæ lingua Do-  
 ctorum dicebatur, callebant.

*Inn. lib. 6. ep.*  
*142. ap. Rai-*  
*nald. 1203.*  
*n. 20.*

*Gest. Innoc.*  
*n. 65.*

*2. ep. 266.*

Pontifex Dominico Epistolam defen-  
 dendam commisit, in qua dicit; com-  
 pertum sibi habere, quod Joannicii Ma-  
 jores ex Urbe Roma originem traxissent.  
 Scilicet, hic Princeps de gente Valacho-  
 rum erat, qui se ab antiquis Romanis  
 ortos



ortos dicebant, seu a quadam Legione, quæ in Mœsiæ montibus sedem sibi elegerat. Hodieque multi affirmant, nullam aliam vulgarem Valachorum lingua majorem cum Latina affinitatem habere. Papa deinde Joannicum ad Dominicum benevole excipiendum hortatur, & addit: *Postquam is de sinceritate mentis tuæ nos accurate certiores fecerit, mittemus ad te Nuncios spectabiliores, seu potius Legatos, qui te in pio ad Sacram Sedem affectu confirmant.* Joannicus Dominicum diu moratus est, suspicans, nam plures alii adfuerant, exploratorem venisse, & tandem eum anno millesimo ducentesimo secundo dimisit, cum Presbytero, nomine Blasio, Episcopo Brandizuberensi electo, cui Epistolam Papæ reddendam tradidit, obsequii & reverentiæ plenam; rogabat, ut majores Nuncios, cujus rei spem fecerat, sibi mitteret. Regis Epistolæ Basilii Archiepiscopus Zagoranus suam junxit, in eundem sensum scriptam.

Innocentius Papa utrique respondit, estque Epistola, ad Joannicum directæ, vigesima septima Novembris anno millesimo ducentesimo secundo data, in qua dicit: *In tabulis nostris invenimus, quod in Regione, tibi subjecta, complures Reges coronati fuerint. Quod Nicolai Papæ ævo Michael Rex Bulgarorum, qui illum*

Sæcul. XIII.

A.C. 1203.

ap. Innoc. V.

ep. 115.

Gest. n. 66.

ibid. ep. 117.

ep. 116.

Sup. L. n. 49.

illum



Sacul. XIII. illum Pontificem saepe, datis literis, con-  
 A.C. 1203. sulebat, ab eo fidem Christi edoctus cum  
 Innocentii toto Regno suo fuerit baptizatus, & Ar-  
 Epistolæ. chiepiscopum sibi dari petierit. Præterea  
 Sup. Lib. LI legimus, quemdam Legatum ejusdem Re-  
 §. 48. gis literas & dona ad Hadrianum Pa-  
 pam attulisse, & nomine Domini sui ro-  
 gasse, ut mitteretur Cardinalis, qui  
 Archiepiscopus eligeretur, a Papa deinde  
 consecrandus. Cum vero Hadrianus  
 Subdiaconum cum duobus Episcopis mi-  
 sisset, Bulgaros Græcorum promissis &  
 muneribus corruptos, ejectis Romanis,  
 Græcos Sacerdotes recepisse. Nos igitur  
 cognita hac animi levitate, cauto  
 opus esse vati, nolimus ad te Cardi-  
 nalem mittere, sed solummodo Joannem  
 Capellanum nostrum, cum Sacra Sedis  
 Legati potestate, qua in terris tuis omnia,  
 ad Regimen spirituale spectantia, qua  
 visa fuerint, reformet & ordinet. Is  
 nostro nomine Archiepiscopo illius Re-  
 gionis Pallium dabit, Clericos & Episco-  
 pos ab Episcopis Catholicis vicinis conse-  
 crari curabit, de corona ab Ecclesia  
 Romana Majoribus tuis collata, tam in  
 libris antiquis, quam in aliis monumen-  
 tis, solícite inquiret, & de omnibus, qua  
 necessaria fuerint, tecum consentiet. In  
 Epistola, ad Basilium Archiepiscopum  
 data, eadem Legati potestas exponitur.

§. ep. 119.

Prius-



Priusquam vero hoc Papæ Respon- Sæcul. XIII.  
 sum ad Joannicii manus delatum fuisset, A. C. 1203.  
 ipse aliam ad Pontificem dederat Episto- 6. ep. 142. ap.  
 lam, in hunc modum: *Ubi ad Græco- Rain. 1203.*  
*rum aures pervenit, me ad vos Nuncios n. 20.*  
*misisse, adfuerunt ab Imperatore & Pa-*  
*triarcha Legati, mihi dicere jussi: Ad*  
*nos convertere; Imperatorem te corona-*  
*bimus & Patriarcham dabimus, sine*  
*quibus Dignitatibus Regnum tuum sta-*  
*re nequit. Ego vero oblata respui,*  
*quia servus S. Petri & Sanctitatis tuæ*  
*esse cupio. Hinc misi ad te Archiepi-*  
*scopum meum cum pecunia signata. Mi-*  
*si etiam vasa, vestes sericas, ceram, e-*  
*quos, & mulos, ut quantum te reverear*  
*probarem. Rogo; Cardinales mitte, qui*  
*me Imperatorem coronent, & Patriar-*  
*cham in ditionibus meis instituant. Nam*  
 Joannicius Imperator Bulgarorum ap-  
 pellari ambiebat, in literis suis stilum  
 Græcorum studiose imitabatur & Bullis  
 aureis eas muniebat.

Ceterum Archiepiscopus, ab eo ad *Gest. Inno.*  
 Papam missus, Basilius fuit, quem quar- n. 72.  
 ta Julii anno sexies millesimo septingen- 6. ep. 103. ap.  
 tesimo undecimo, secundum Græcos, *Rain. n. 21.*  
 Indictione sexta, nempe anno Incarna-  
 tionis Dominicæ millesimo ducentesimo  
 tertio a Domino suo profectum, ubi ad  
 portum Dyrrachiensem pervenit, captum,  
 Græci inceptum iter prosequi prohibue-  
 runt.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1203.

runt. Inde igitur Basilius, duos viros fir-  
dissimos, Constantinum Presbyterum &  
Sergium Tribunum ad Papam misit; sed  
priusquam ubi essent, vel quid egissent,  
rescire potuisset, mandata afferuntur a  
Joannicio Domino suo, Papæ Legatum  
ad eum advenire. Basilius tandem Dria-  
nam urbem mense Septembri attigit, u-  
bi Joannem Papæ Capellanum habuit.

## §. LIV.

*Joannes Legatus Papæ in Bul-  
garia.*

6. ep. 140.  
ibi. n. 22. 23.  
item u. 7.

Joannes Bosniam peragraverat, in qua  
provincia reducendis ad sinum Eccle-  
siæ Patarinis seu Manichæis operam de-  
derat, quo in labore Culinum, Regionis  
illius Principem, adiutorem habuit.  
Complures ex his Hæreticis, qui per  
Antonomasiam *Christiani* dici volebant,  
errores suos in Actis publicis, anno mil-  
lesimo ducentesimo tertio, Innocentii  
Papæ sexto, datis, abjecerunt, promit-  
tentes, se mandatis Ecclesiæ Romanæ in  
sua vitæ ratione obtemperaturos, addi-  
ta pœna jacturæ bonorum suorum, si in  
Hæresim relaberentur. Inde Legatus  
divertit in Hungariam, ubi cum, detri-  
nente ipsum Rege, aliquamdiu fuisset  
commoratus, adsunt Nuncii a Joannicio  
missi, eum ad Dominum suum deducturi.  
Sub

ep. 212. ap.  
Rain. 1202.  
n. 8.



Sub illud tempus Legatus ad Papam de-  
dit Epistolam, in qua dicebat: *Scire te*  
*oportet, in Bosnia unicam esse Ecclesiam*  
*Episcopalem, cujus Episcopus nunc mor-*  
*tuus est. Si Episcopus Latinus illuc*  
*transferri, ac tres quatuorve Sedes Epi-*  
*scopales erigi possent, maximo sane Ec-*  
*clesiæ universalis incremento id fieret.*  
*Ista enim provincia tantæ est latitudinis,*  
*ut vix decem dierum itinere peragrari*  
*possit.*

Sæcul. XIII.

A.C. 1203.

I. ep. 140.

Ubi Joannes Legatus in Bulgariam *Gest. n. 72.*  
pervenit, Papæ Epistolam Basilio Archi-  
episcopo reddidit, eundemque in Festo  
Nativitatis Beatæ Virginis die octava  
Septembris anno millesimo ducentesimo  
tertio Pallio investivit. Quo accepto  
Archiepiscopus juramentum fidelitatis  
publice in Ecclesia, compluribus Epi-  
scopis præsentibus, Papæ præstitit. Id  
enim ipse in Epistola ad Papam data  
confitetur, ubi subjungit: *Sacrum Chris-*  
*ma non habemus. Illud antea a Græcis*  
*accipiebamus, qui hodie nos æque ac vos*  
*Romanos oderunt. Doce ergo, unde sa-*  
*crum Chrisma nobis adveniat, cum popu-*  
*lum nostrum baptizamus, ne sancta ista*  
*unctione carere cogatur, quæ res peccato*  
*non vacaret. Mitte nobis duo Pallia pro*  
*duobus Metropolitibus in urbibus Prisblave*  
*(seu Preslavia) & Belesbuda. Legatus* *Gest. n. 76.*  
has Cathedras Archiepiscopales, con-  
sen-



Sæcul. XIII.

A. C. 1203.

sentiente Joannicio erectas, Archiepiscopo Basilio tanquam Primati subiecerat, sedemque Primatis in urbe Terranova, quæ illa tempestate Bulgariae caput erat, posuerat. Cum Joannem Legatum dimisit Joannicius, viæ socium dedit Blasium Episcopum Brandizubensem cum Epistola ad Papam, in qua rogabat; Baculum Pastoralem, & cuncta Insignia, quæ Patriarcham ornant, Basilio Archiepiscopo mitteret. Legatus præter Pallium ei Mitram & Anulum dederat. Tum Joannicius in Epistola addebat: *Ne vero post obitum cujuslibet Patriarchæ non sine gravi opere Romam eundum sit, aut conscientiam tuam lædas, si tam ampla Sedes divacat, Patriarcham eligendi, consecrandique licentiam Ecclesiæ Terranovanae concede. Eidem Ecclesiæ potestatem dandi, conficiendi Sacrum Chrisma, in Baptismo adhibendum. Græci enim id nobis amplius non mittent, ubi sciverint, quod Consecrationem a tua Sanctitate receperimus. Rogo etiam mitte ad me Cardinalem, qui sceptrum & coronam ad me consecrandum afferat. Quod pertinet ad terminos Hungariæ & Bulgariae ponendos, tuæ Sanctitatis judicium sit, tuæ inquam conscientiæ id mando, sanctissima Pater, fac, ut cædes & latrocinia Christianorum cessent. Præterea ignorare*

no



non debes, Regem Hungariæ quinque Diæ-  
ceses Episcopales earumque census mihi  
subtraxisse, unde illæ terræ desertæ & in-  
cultæ jacent. Judica an justum & æ-  
quum sit hæc tolerari. Ceterum, ego  
sane non dispicio causam, cur Episcopi  
Bulgarorum ipsi S. Chrisma non confe-  
cerint, ac necessarium crediderint, illud  
aliunde accipere (\*).

Sæcul. XII.  
A.C. 1203.

§. LV.

*Stephani Tornacensis extrema.*

Hoc anno millesimo ducentesimo ter-  
tio rebus mortalibus ereptus est Ste-  
phanus Episcopus Tornacensis, inter æ-  
vi sui Præsules eximius. Ad eum, mu-  
nera Episcopalia auspicatum, familiares  
detulerunt, Doctorem Berterium, Ar-  
chidiaconum Cameracensem, veterem  
amicum suum, de ipso dicere, quod mo-  
res Episcopali celsitudine dignos indue-  
re nesciret. Ut igitur objectum dilue-  
ret, Stephanus Epistolam ad Berterium  
dedit, in qua vitæ suæ rationem expo-  
nit in hunc modum: *Ex urbe raro pe-  
dem*

Sup. Lib.  
LXXIV.

§. 39.

ep. 208.

(\*) Verisimile est, Græcos, a quibus Chris-  
ma accipiebant Bulgari, eorum ignorantiam  
improba solertia aluisse, ut sibi eo magis in  
spiritualibus & temporalibus obnoxios habe-  
rent.

*Hist. Eccles. Tom. XVIII.*

Xx



Sæcul. XIII.

A.C. 1203.

*dem effero. Officio divino, ubi per ne-  
gotia licet, cum ceteris semper intersum.  
Ovibus meis Verbum Dei pro modulo do-  
ni, quod accepi, prædico, atque sermo-  
nibus meis Hæresim nascentem, aliosque  
similes errores pro viribus oppugno. Neme-  
pe Manichæismum, qui Flandriam plu-  
resque alias regiones infecerat. Tum  
prosequitur Stephanus: Sacramenta  
quæ gratis accepi, gratis do, & simoniam  
abominor. Si non omnia dona mihi  
oblata rejicio, saltem illicita non accipio.  
Peccata sua mihi confitentibus consilium  
suggero, eorum malis per Penitentiam  
consulo, afflictos pro viribus mihi a Deo  
concessis consolor. Horis, quibus vo-  
co, sacram Scripturam lego, & meditor.  
Hominibus honestis hospitium lubentissime  
præbeo. Solus & clam non manduco,  
superflua & peregrina abjicio. Patri-  
monium Jesu Christi in salios & sycop-  
phantas non effundo. Hæc sunt quæ ab  
hominibus videri possunt, de occultis so-  
lius Dei est judicium.*

Stephanus Episcopus multas ærummas  
tulit ob Interdictum, quo Diocesim  
*Rigord. p. 41* suam constringere jussus est. Quippe  
cum anno millesimo centesimo nonage-  
simo septimo Balduinus Comes Flandriæ,  
fide quam Regi Franciæ, Vasallus Do-  
mino suo, debebat violata, foedere cum  
Rege Angliæ, ejus inimico, inito, agros  
Fran-



Franciæ devastaret, Cardinalis Melior, Sæcul. XIII.  
 Legatus in Franciam a Cœlestino III. A. C. 1203.  
 Papa missus, omnes Comitibus Flandriæ *Sup. Lib.*  
 ditiones Interdicto Ecclesiastico subijci *LXXIV.*  
 iussit. Quibus acceptis mandatis, Epi- *S. 5.*  
 scopus Tornacensis, Archiepiscopum Re-  
 mensem Patronum suum consulturus,  
 scripsit ei in hunc modum: *Plagæ prio-*  
*ris, Interdicto insictæ, cicatrix necdum* *ep. 231.*  
*obducta est; si succedat & alterum vul-*  
*nus, lethale erit, & nobis tacentibus*  
*Hæreses invalescent. Ecclesiis clausis,*  
*qui de Altari vivunt, ad mendicitatem*  
*redigentur. Porro nobis exploratissi-*  
*imum est, hujus Principis pectus usque*  
*adeo obfirmari, ut nec excommunica-*  
*tione nec Interdicto tangatur, sæcula-*  
*ria spiritualibus præferre solitus. Et* *ep. 233.*  
*infra: Eripe me de potestate Principis*  
*nostri, qui comminationibus me terret,*  
*& Ecclesiæ nostræ bona occupari jubet.*  
*Pro obedientia, quam Papæ tibi que sem-*  
*per præstiti, in eum Excommunicationis*  
*& in Ditiones ejus Interdicti sen-*  
*rentiam denunciavi; sed Abbates nostri,*  
*Decani, Parochique obedire detrectant,*  
*dicuntque, se appellavisse, quamvis eis si-*  
*gnificari jusserim, banc Appellationem*  
*esse nullam. Denique ex urbe excessissem,*  
*si tuto fugere licuisset.*

Alibi dicit Stephanus: *Laici nos con-* *ep. 235.*  
*viciantur, minantur, atque in suis ser-*



Sæcul. XIII.  
A.C. 1203.

Interdicta  
Generalia.

sp. 36. 37.

sp. 194.

*monibus tam publicis quam privatis nihil frequentius audias, quam ejiciendos esse Sacerdotes, & bona eorum diripienda. Dicunt, contra leges Justitiæ manifeste pugnare, quod in ipsis peccatum alienum puniatur, eisque Sacramenta denegentur, viris Catholicis & Ecclesiæ submissis. Exploratum est nobis Floridorum ingenium, quorum nunquam vana sunt sine effectibus iræ. Expulsi Presbyteris nostris exteros advocare volunt, homines suspectos, aut in Doctrina corruptos.*

Hic cognoscimus, quanta ex Interdictis incommoda & pericula nascantur. Nihilominus, quamvis Episcopus Tornacensis istud Interdictum satis rigide servari jussisset, teporis & pusilli animi ab Episcopo Cameracensi accusatus est.

Præterea Stephanus Tornacensis in suis Epistolis de abusu mandatorum Apostolicorum, ad collationem Beneficiorum spectantium, conqueritur, atque de hac re ad ipsum Summum Pontificem scribit in hunc modum: *Sæpe ad nos veniunt nullius meriti homines, quorum nec ortum, nec conditionem, nec an a criminibus immunes sint, novimus; sed nobis Epistolas tuas exhibent, monitis & comminationibus plenas, in quibus nobis precipis, ut omnibus illis, quibus vel nos vel Antecessores nostri, a prima Tonsura us-*



que ad Ordines sacros, manus imposui- Sæcul. XIII.  
 mus, necessaria ad vitam sustentandam A.C. 1203.  
 suppeditemus, donec eis Beneficium Ec-  
 clesiasticum, unde vivant, conferamus.  
 Ignosce, si quod verum est dicamus, hæc Can. 5.  
 mandata nobis nova sunt, quandoquidem Sup. Lib.  
 in Concilio Lateranensi, sedente Alexan- LXXIII.  
 dro tertio, omnibus Episcopis præsentibus S. 21.  
 suffragantibus, hæc Constitutio de so-  
 lis Presbyteris & Diaconis edita est,  
 quam bona fide servamus. Sed omnino  
 vires nostras superat, ut & numerum  
 & nomina eorum, quibus Ordinem Sub-  
 diaconatu inferiorem dedimus, retinea-  
 mus. Multo minus fieri potest, ut sin-  
 gulis vel Beneficia vel alimenta confe-  
 ramus. Satius profecto esset neminem  
 ordinare, & quam noxia hæc cessatio  
 Rei Ecclesiasticæ futura sit, nemo igno-  
 rat. Namque in Francia plerique eum  
 in finem literarum studiis se dedunt, ut  
 ad Ordines admittantur.

In alia Epistola ad Papam data de p. 252.  
 scholis sui ævi ita conqueritur: Sacra-  
 rum literarum studium apud nos colla-  
 psum est, quia discipuli solis rebus novis  
 applaudunt, & Magistri magis gloriam  
 quam Doctrinæ veritatem quærunt. No-  
 vas Theologiæ Summas & Tractatus  
 componunt, quasi vero SS. Patrum O-  
 pera non sufficerent. Publice & non il-  
 lasa rerum sacrarum reverentia de Di-



Sæcul. XIII. *vinitate incomprehensibili, de Trinitate*  
 A.C. 1203. *& Incarnatione disputatur. Si jus Ca-*  
*nonicum spectemus; Collectio immensa E-*  
*pistolarum Decretalium sub nomine Ale-*  
*xandri Papæ circumfertur, dum interim*  
*antiqui Canones rejiciuntur.*

*Novum hoc Volumen in scholis pu-*  
*blice prælegitur, & in tabernis bibliop-*  
*larum ementuris exponitur, videntibus sibi-*  
*que plaudentibus Scriptoribus, cum la-*  
*bores suos minui, & lucrum augeri vi-*  
*dent. Si transeamus ad Artes Libera-*  
*les; Juvenes, qui ad eas addiscendas vir-*  
*idonei sunt, eas docere præsumunt, & no-*  
*men Magistri impudenter jactant. Hi*  
*abjectis Regulis & libris authenticis, im-*  
*nibus vocibus & tricis sophistarum dele-*  
*ctantur, araneis; quæ totæ in musæis co-*  
*piendis occupantur, simillimi. Tuum est,*  
*Sancte Pater! hos abusus tollere, ac me-*  
*thodum docendi disputandique certam &*  
*constantem præscribere.*

*Alber. an.*  
*1203.*

*ep. 274.*

*Cum Gerardus Doctor Duacensis*  
*anno millesimo ducentesimo tertio E-*  
*piscopus Catalaunensis electus fuisset,*  
*& Stephanus Tornacensis, utpote illius*  
*Diocesis Episcopus, ad solemnia Consec-*  
*rationis, ab Archiepiscopo Remensi*  
*peragendæ, invitaretur, primo quidem*  
*se ob senium & infirmitatem excusavit,*  
*jam enim, inquebat, in septuagesimo*  
*annum vitæ meæ sexagesimum octavum*  
*exple-*



*explevi* (tunc vero annus post partum Sæcul. XIII. Virginis millesimus ducentessimus tertius agebatur & dies secunda Februarii) A. C. 1203.  
*bujusque corporis resolutionem instare sentio.* Postea tamen, Archiepiscopo ipsius Patrono vehementius urgente, inter ingressus est, illi Ordinationi interfuturus. Obiit vero Stephanus eodem anno die nona Septembris, cujus Scripta multa, & inprimis Epistolæ, numero ducentæ octoginta septem, nobis supersunt. *cp. 275. 276.*

§. LVI.

*Pœnitentia Ecclesiastica memorabilis*

Anno superiore millesimo ducentesimo secundo Conradum Episcopum Herbipolensem, & Curia Cæsareæ Cancellarium, duo viri equestri Ordinis, *Trith. Chro. Hirsang. 1202. Arn. Lubec. 7. c. 2.* Bo-  
 don & Henricus ejus Vasalli trucidaverant, quos judicio persequeretur, quia bona Ecclesiæ suæ usurpabant. Hi, cum pactis ab Episcopo oblatis acquiescere simulassent, Præsulem publice in platea urbis Herbipolensis, in Festo S. Nicolai die sexta Decembris, invadunt, manu dextera & capite truncant, verticis partem, quæ corona Clericali cingebatur, dilaniant, & totum corpus in partes ense dividunt. Qui deinde funus curant,



Sæcul. XIII. A.C. 1203. *Ab. Ursip. p. 312.* *5. ep. 155. ap. Rain. 1203. n. 45.* runt, sub vestibus sericis rigido cilicio indutum invenerunt. Infandam cædem ut vindicarent cives Herbipolenses, atque Ravensburgensi, quæ latronum istorum Sedes erat, solo æquata, ipsos e patria expulerunt. Ubi vero tetrum facinus ad aures Innocentii Pontificis delatum est, literis ad Archiepiscopum Salisburgensem, ejusque Suffraganeos vigesima tertia Januarii anno millesimo ducentesimo tertio datis, Excommunicationis sententiam contra auctores, & Interdictum in eorum terras pronuntiavit.

*5. ep. 51. ap. R. & Trithemium.*

Interfectores S. Episcopi, pœnitentia ducti, Romam profecti Papam adierunt, qui eos ad Hugonem Cardinalem Presbyterum, Tituli S. Martini, cui Confessionem suam exponerent, remisit. Is postquam confitentes audivisset, per complures dies in conspectu Pontificis nudos cum braccis, & fune de collo pendente, præsentem magnam populorum frequentiam adstare jussit; tumque ex Mandato Pontificis talem Pœnitentiam injunxit. Nunquam deinceps nisi in bello contra Saracenos, vel ad justam vitæ propriæ defensionem armis utantur. Nunquam se pannis pretiosis, nitidi coloris aut hermineis pellibus se vestiant. Ad publica spectacula non accedant (nulla illa ætate spectacula nisi certamina equestria



equeſtria occurrunt) poſt mortem uxorum ſuarum ſecundas nuptias non cogitent. Ut primum potuerint, Hieroſolymam proficiſcantur, ibi per annos quatuor contra Saracenos militaturi. Interim uſque dum itineri ſe dare poſſint, nudis pedibus incedent, & laneis veſtibus tecti, ut Pœnitentes publicos decet. In pane & aqua Feria IV. & VI. in quatuor temporibus, & in Feſtorum Vigiliis jejument. Tres Quadrageſimas ante Paſcha, ante Pentecoſten & ante Natiuitatem Domini ſeruent, ac non niſi in his Feſtis carnibus veſcantur (\*). Quotidie intra horas viginti quatuor diurnas nocturnasque centies *Pater noſter* decantabunt, & quinquagies genuflectent. Corpus & ſanguinem Domini niſi in ultimo articulo mortis non ſumant. Poſtquam mare trajecerint, quarta & ſexta Feria, aliisque ſtatutis diebus, in cibo quadrageſimali jejument; carnes tantum die Dominica & Feria quinta comedant. Quandocunque aliquam Civitatem Alemannicam ſecure intrare poterunt, ad Eccleſiam principem nudi procedant, tantum in braccis, cum fune in collo &

X x 5                      virgis

Sæcul. XIII.

A.C. 1203.

(\*) In Chronico Hirſaugienſi, unde iſta accepit Fleurius, hic additur: *Eaque die, qua prædictus Episcopus fuit occiſus, carnes non comedant in æternum.*



Sæcul. XIII.

A.C. 1203.

virgis in manu, sicque a Canonicis Cathedralibus cædantur. Si quis, cur hoc faciant, quærat, respondeant, se ad crimina sua pœnitentia delenda id suscepisse. Cum ex partibus transmarinis redierint, ad Apostolicam Sedem accedant, consilium & mandatum recepturi. Epistola patens, in qua hæc Pœnitentia descripta est, diem decimam octavam Aprilis anno millesimo ducentesimo tertio appositam habet.

5. ep. 77. al. 79

Rain. 1202.

10.

\*Catnes

Absolutio  
ante Pœnitentiam.

Sub idem tempus duo alia singularis pœnitentiæ, ab Innocentio Papa injunctæ, exempla invenio. Episcopo Catnesiensi \* in Scotia, in expugnatione cujusdam arcis capto; aliquis nomine Lumberdus linguam executerat. Romam deinde profectus a Pontifice absolutio- nem accepit, hac injuncta pœnitentiâ. Quantocius remearet in patriam, ibique diebus quatuordecim procederet nudis pedibus, femoralibus & veste lanea curta ac sine manicis tectus, lingua funiculo constricta, ita ut aliquantum extra os prominere, & funiculi extremæ partes collum innecterent. Præterea virgas manu teneret, isto habitu ad portam Ecclesiæ accederet, foris prosterne- retur, cæderetur a Clericis, usque ad solis occasum in silentio & jejunio perseveraret, & tandem pane & aqua reficeretur. Consumtis diebus quindecim,  
intra



intra unius mensis spatium in Terram Sæcul. XIII.  
 sanctam proficisceretur, & tribus annis A.C. 1203.  
 ibi militaret. Arma contra Christianos  
 nunquam stringeret, tandem pane & a-  
 qua contentus Feria VI. undecim annis  
 jejunaret.

Quodam Christiano captivo, cui no- 5. ep. 80.  
 men Robertus, apud Saracenos, cum u- al. 78.  
 xore & filia, degente, cum fames illam  
 Regionem affligeret, iussit Emir omnes  
 captivos, quibus filii erant, eos necare.  
 Robertus, fame pressus, ne inedia peri-  
 ret, filiam, manu sua maectatam, devo-  
 ravit. Novis mandatis supervenientibus,  
 uxorem quoque peremit; sed postquam  
 carnes assari curavit, subeunte horrore  
 comedere non potuit.

Ex manibus Saracenorum postea li-  
 beratus, in conspectum Papæ venit, qui  
 Pœnitenti injunxit; Quoad viveret,  
 nunquam carnem comederet, pane & a-  
 qua contentus Feria sexta, secunda &  
 quarta in utraque Quadragesima Paschæ  
 & Nativitatis Domini jejunaret. Nu-  
 dis pedibus incederet, vestitus tunica la-  
 nea, & scapulari admodum curto, bacu-  
 lum manu tenens & stipem rogans;  
 plus vero quam in sustentationem unius  
 diei sufficeret, accipere non liceret, nec  
 duabus noctibus in eodem loco dormire.  
 Hoc modo annis tribus peregrinaretur,  
 ad fores Ecclesiarum prosterneretur, &  
 non



Sæcul. XIII. non intraret, nisi prius virgis cæsus. U-  
A.C. 1203. xorem nunquam duceret, Ludis publi-  
 cis nunquam adesset. Centies in die  
*Pater noster* recitaret, & toties genua  
 flecteret. Annis tribus exactis, ad Sum-  
 mum Pontificem misericordiam petitu-  
 rus & mandata recepturus, rediret.

## §. LVII.

*Abbas Casæ-majoris Legatus in  
Francia.*

**H**oc anno millesimo ducentesimo ter-  
 tio Joannes Abbas Casæ-majoris \*  
 cum potestate Legati ab Innocentio Pa-  
 pa missus est, ut Reges Philippum Au-  
 gustum & Joannem Angliæ ad pacis fœ-  
 dera restauranda compelleret. Causa  
 exorti belli erat, quod Rex Joannes Ar-  
 tum, nepotem suum, Britannia Comi-  
 tem, ex turri, in qua ipso mandante Ro-  
 tomagi custodiebatur, protractum, sua  
 manu in navi obruncasset, corpusque in  
 Sequanam projici jussisset, in Cœna Do-  
 mini die tertia Aprilis, eodem anno. Rex  
 Francia Joannem tanquam Vasallum  
 suum ad judicium citari, & admissio fa-  
 cinore, causam dicere jussit, cumque non  
 venisset, Pares Francia Joannem Regem  
 jure suo in omnes Ditiones, quas citra  
 mare tenuisset, excidisse, idque ad Re-  
 gem Philippum rediisse, unanimi voce  
 pro-

\* Casemarii

*Rigord. p. 46**Guil. armor.**Philipp. l. 6.**p. 167.**Matth. Par.**1202.**Chr. Nic.**Trivet. t. 8.**Spicil. du**Till. p. 168.*



pronunciarunt. Vi cujus Decreti Rex Sæcul. XIII.  
 Philippus in Aquitaniam, tumque in Nor- A. C. 1203.  
 manniam movens, complures urbes ad  
 deditionem compulit.

Itaque ad hoc bellum componendum  
 Innocentius Papa Joannem Abbatem  
 Casæ majoris atque Abbatem *de tribus*  
*fontibus*, utrumque Ordinis Cistercien-  
 sis, misit, qui ambobus Regibus manda-  
 ta Papæ denunciarunt; Episcopos &  
 Principes totius Regni convocarent, sal-  
 vo utriusque Regis jure pacem inirent,  
 Monasteria, ceterasque Ecclesias inter  
 belli turbines destructas, repararent.  
 Hæc mandata Pontificis Regi Philippo,  
 Meduntæ commoranti, in Octava Assum-  
 tionis, nempe vigesima secunda Augu-  
 sti, reddita sunt. Præsulum vero & Prin-  
 cipum collectorum sententiam secutus,  
 contra hanc denunciationem appellans,  
 causam Papæ reservavit. In *thesauro du Till. p. 166*  
*Chartarum* Literæ patentes Odonis Du- Preuv. lib.  
 cis Burgundiæ occurrunt, in quibus pro- Gall. Ch. 7.  
 fitetur, se Philippo Regi Domino suo n. 2.  
 consilium suggestisse; ne pacem vel in-  
 ducias Regi Angliæ, a Papa vel Cardi-  
 nalium ullo compulsus, concederet. Si  
 vero Papa, adjicit, Regi in hac causa  
 vim inferre pararet, promisi ei tan-  
 quam Domino meo supremo, omnesque  
 ditiones, quas ab ipso accepi, in fidei  
 pignus



Sæcul. XIII. *pignus obtuli, quod omnibus viribus*  
A.C. 1203. *auxilium præstiturus essem, nec ad con-*  
*filia Pacis inter me & Papam reducenda*  
*animum unquam adjecturus, nisi Rex*  
*consentiret. Hoc diploma mense Julio*  
*anno millesimo ducentesimo tertio da-*  
*tum est, eique decem alia similis teno-*  
*ris totidem Principum aut Dominarum*  
*ap. Rainald.* adjacent. Ergo Rex Legatis respon-

dit; Romani Pontificis non esse, se se  
 bellis Regum implicare, qui in causis Va-  
 fallorum suorum ipsius mandatis obse-  
 qui non tenerentur.

## §. LVIII.

*Papa se pacis arbitrum esse affir-*  
*mat.*

6. ep. 165.  
 ibid.

Cum Abbas Casæ majoris Papam cer-  
 tiorem fecisset, quid respondisset Rex,  
 Innocentius ad Philippum Regem Epi-  
 stolam dedit, in qua dicit: *Neutiquam*  
*cupimus, potestatem non debitam nobis*  
*tribuere, aut quidquam, quod officii no-*  
*stri non sit, vobis præcipere. Quid*  
*enim vos monuimus? nempe pacem, vel*  
*inducias saltem, salvo uniuscujusque jure,*  
*pangendas esse. Quamquam vero ani-*  
*mus tecum disputandi non sit, nolumus*  
*tamen tuo ad nos Responso auctoritatem*  
*nostro silentio conciliare. Tum com-*  
 plures



plures Textus Sacrae Scripturae affert, ostenditque, IESUM Christum ad denunciandam pacem venisse, & Discipulos suos exire ex domibus vel civitatibus illorum, qui ipsos non reciperent, iussisse. Quod de Excommunicatione accipiendum esse docet. His Innocentius subjungit: *Nemo in dubium vocat, quin nostrum sit de iis judicare, quae ad salutem vel damnationem animae spectant. Quæro igitur, an non sunt opera æterna damnatione digna, discordiam fovere, Christianis arma inferre, pauperes spoliare, sanguinem humanum fundere, profanare Ecclesias, Religiosorum virorum domos destruere?* Et inferius: *Dixit IESUS Christus: si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, & reliqua. Nunc vero frater tuus, Rex Angliæ, contra te querelas movet. Sæpius tam datis literis quam voce monuit, operam quorundam Principum adhibuit, qui te ad Jus suum sibi tribuendum permoverent, tandemque detulit te ad Ecclesiam; quæ cum mallet affectu materno quam potestate Judiciali tecum agere, te magna Caritate per Abbatem Casæ majoris corripuit & hortatus est, ut fratri tuo damni causa esse desineres, ac cum eo in*  
gra-

Sæcul. XIII.

A.C. 1203.

Matt. 10. 14.

Matt. 18. 15.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1203.

*gratiam redires. Quid superest, si Ecclesiam non audieris, nisi, quod dolens dico, ut nobis sicut Ethnicus & Publicanus sis? cum ad alterutrum eligendum compellamur, tibi displicere, quam Deum offendere præstat. Dices: damnum Regi Angliæ non infero, & ille: infert mihi quam maxime. Quid nos ad istam contentionem? num cessabimus? num veritatem non inquiremus, atque, ea inventa, num quod Deus præcipit, non faciemus? num improbos non coercebimus, & vim Christianorum a Christianis non repellemus? Hæc Epistola Anagninæ die ultima Octobris anno millesimo ducentesimo tertio data.*

6. ep. 167.  
ap. Rain.  
n. 58.

Epistola ad  
Regem Angliæ.

Innocentius Papa Regi Angliæ quæque scripsit, objiciens querelas, a Rege Franciæ contra ipsum allatas, inprimis, quod ad ejus Curiam, tanquam Vasallus, citatus nunquam paruisset, sed rem continuo differendo & impedimenta comminiscendo Judicium elusisset. Quia etiam Episcopi Franciæ Regem suum excusabant, rogabantque Pontificem, ne ejus jura læderet, ad non nullos eorum privatas Epistolas, aliamque ad omnes Episcopos, anno sequente millesimo ducentesimo quarto, Ency-



Encyclicam dedit, nempe illam Decretalem seu Capitulum Novit, celeberrimum, in quo loquitur in hunc modum: *Nemo putet, quod Jurisdictionem aut potestatem Regis Franciæ minuisse aut perturbare velimus, cum ipsa nostram non debeat aut velit etiam coarctare. Quia vero eum Rex Angliæ, secundum præceptum Evangelii, ad Ecclesiam detulit, quomodo nos, qui sumus ad Regimen Universalis Ecclesiæ superna dispositione vocati, mandatum divinum & formam præscriptam possumus vilipendere? Non enim intendimus judicare de Feudo, cujus ad Regem spectat judicium, sed discernere de peccato, ejusque ad nos pertinet sine dubitatione Censura, quam in quemcunque ferre possumus & debemus. Non igitur injuriosum sibi futurum Rex credat, si in hac causa Apostolico Judicio se committat; cum Imperator Valentinianus Episcopis Suffraganeis provincie Mediolanensis dixisse legatur: Talem nobis in hac Sede date Episcopum, cui & nos sincere Caput nostrum submittamus, & monita salutaria, si tanquam homines deliquerimus, recipiamus. His subjungit Papa præsumtam Theodosii Constitutionem, seu potius Constantini de Jurisdictione Episcopi.*

*Hist. Eccles. Tom. XVIII.*      Y y      sco.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1203.  
7. ep. 42. ibid.  
Cap. novit.  
13. extra de  
judic.  
to. II. Conc.  
p. 27.  
Preuv. lib.  
Gall. c. 7. n. 4.  
Theo. IV.  
hist. c. 6.  
Dist. 63. c.  
Valent. ex  
his. tri. 7.  
c. 8.  
Sup. lib.  
XLVI. §. 8.  
2. q. 1. c. 35.  
Quicumque.



Sæcul. XIII. scoporum, a Carolo Magno confirmatam, ac a Gratiano in sua Collectione citatam.  
 A.C. 1203.

Tum Epistolam sic prosequitur: *Non humane Constitutioni sed divine Legi innitimur, cum potestas nostra non ab homine sed a Deo sit. Nullus enim ignorat, quin ad officium nostrum spectet, de quocunque peccato mortali quemlibet Christianum corripere, & si correptionem contemserit, contumacem Censura Ecclesiastica coercere (\*)*. *Nemo dicat aliter cum Regibus & aliter cum aliis esse agendum; quia scriptum novimus in Lege divina: Ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam. Præcipue autem ideo in hac causa potestate nostra uti tenemur, quia peccatur contra pacem, & contra edictum*

---

(\*) In ipsa Epistola Innocentii additum est: *Nullus enim, qui sit sanæ mentis, ignorat &c.* Superius de Regno Francorum dixerat Papa in eadem Epistola: *Cum hoc Regnum benedictum a Deo semper in Sacra Sedis devotione permanserit, & ab ejus devotione nullo unquam, sicut credimus, sit tempore discessurum &c.*



tum juramentum, ac utrumque ad Ec-  
 clesiae judicium pertinet. Quare Le-  
 gato nostro in mandatis dedimus; nisi  
 Rex Franciæ Regi Angliæ pacem red-  
 dat, aut saltem patiatur, Legatum &  
 Archiepiscopum Bituricensem summatim  
 de hac lite cognoscere, sibi imperata  
 exequatur. Vobis vero omnibus in vir-  
 tute obedientiæ præcipimus, ut ejusdem  
 Legati nostri Abbatis Casemarii sen-  
 tentiam recipiatis, & ab aliis servari  
 curetis. Si secus egeritis, scitote, vos  
 inobedienciæ graves pœnas nobis esse da-  
 turos.

Hæc est Innocentii Papæ ad Episco-  
 pos Franciæ Epistola.

Verumenimvero, si huic Innocentii  
 Doctrinæ locus detur, non solum Roma-  
 ni Pontifices, sed etiam omnes Episcopi  
 pacis bellique arbitri erunt, cum omnia  
 pacis fœdera juramento firmari soleant,  
 & omne bellum injustum grande pec-  
 catum sit. Tumque juramenti prætex-  
 tu jus eis competeret, omnium præ-  
 fectorum in Republica fidem ad exa-  
 men vocare, quia juramento se Princi-  
 pi obligant, atque etiam omnium Va-  
 fallorum, quamvis Innocentius fatea-  
 tur, se in causa Feudorum non esse Ju-  
 dicem



Sæcul. XIII.

A.C. 1203.

dicem. Argumentum a peccato acceptum multo latius patet, cum omnia crimina publica, & privatorum contra Justitiam delicta, nempe totam Judiciorum sive in foro civili sive in criminali materiam complectatur, ac eo pacto causis omnibus ad Tribunal Ecclesiasticum devolutis, Potestas sæcularis tolleretur. Hinc negari non potest, Auctoritatem Sacræ Scripturæ, sæpissime in hac Decretali adhibitam, ad solum forum internum & tribunal conscientiæ spectare, in quo omnibus Episcopis, quin etiam omnibus Presbyteris cum consensu Superiorum suorum, ligandi solvendive Jurisdictio est, non alium in finem, quam ut vel Fideles peccantes Sacramentis aliisque Bonis spiritualibus priventur, vel pœnitentes Ecclesiasticæ Communioni restituantur.

## §. LIX.

*Concilium Meldense.*

\* Casemajor.

*Fragm. du Chesne to. 5.**p. 809. ex Gestis. Inno.**n. 129.**to. II. Conc. p. 27.*

Cum Abbas Casemarii\*, ad reduendam pacem per annum integrum laborans, sæpius ex Francia in Angliam, indeque iterum in Franciam trajecisset, & tandem se nihil agere intellexisset, in



in urbe Meldensi convocatis Episcopis Sæcul. XIII.  
 Concilium celebravit; ubi recitatis Pa- A.C. 1203.  
 pæ Epistolis Episcopi Franciæ responde-  
 runt, statuisse se, cum Rex Angliæ Epi-  
 stolis Papæ morem non gessisset, ipsum  
 Pontificem consulere, quod maximas  
 turbas Ecclesiæ Gallicanæ imminere cer-  
 nerent. Ne vero Abbas interim pot-  
 estate Legati uteretur, ad Papam ap-  
 pellarunt, tempus appellationi præfi-  
 gentes, atque quod si adhærere vel-  
 lent, dato pacis osculo, præsentibus Re-  
 gis Franciæ Legatis, sese obstrinxe-  
 runt, ea conditione adjecta, si quis ipso-  
 rum intra præscriptum terminum non  
 per se ipsum appellationem urgeret,  
 suspensioni subiceretur. Nam Lega-  
 tus alio quam isto pacto eorum ap-  
 pellationem recipere recusavit. Ve-  
 rum Papa dispensans noluit eos hoc ju-  
 ramento teneri ligatos, deditque singu-  
 lari favore licentiam, qua Episcoporum  
 aliqui Romam irent, nomine omnium  
 appellationem profecuturi. Itaque præ-  
 stituto tempore Archiepiscopi Seno-  
 nensis & Bituricensis, cum Episcopis Pa-  
 risiensi, Meldensi, Catalaunensi, Niver-  
 nensi, aliisque viris Ecclesiasticis spe-  
 ratissimis, Romæ adfuerunt, cumque  
 diu expectassent, nec quisquam nomi-  
 ne Regis Angliæ venisset, in Consisto-  
 rio



Sæcul. XIII.  
A.C. 1203.

rio Papali publice professi sunt, se nequam ea mente appellasse, quod mandata Pontificis voluissent eludere, sed quod persuasum sibi haberent, Regis sui causam iustitia fulciri, atque, si necdum Papæ omnis suspicio esset exempta, haud se purgationem Canonicam refugere. At eos ab hoc onere Papa liberavit.

*Finis Tomi XVIII.*



INDEX